

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Commentatio Academica De Recta Theologiae Parabolicae
& Allegoricae Conformatione**

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Christlieb, Wilhelm Bernhard
Rühle, Christian Andreas**

Tubingae, 1729

RECTA THEOLOGIAE PARABOLICAE CONFORMATIONE.

[urn:nbn:de:bsz:31-41906](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41906)



ANTECESSIO.



Ost editas duas de rectâ Theologiæ typicæ & propheticæ conformatione commentationes justum est & æquum, imò ipsa poscit argumenti ratio, ut & de rectâ Theologiæ parabolicæ & allegoricæ conformatione agamus, coeptum sic filum ad finem perducturi. Quod dum facimus, & heic Deum rogamus, ut adjutorio suo clemens nobis adsistat!

CAPUT PRIMUM

DE

RECTA THEOLOGICÆ PARABOLICÆ CONFORMATIONE.

§. I.



Arabola, à Græco *παροβαλλειν*, quod inter alia & conferre, comparare est, est *collatio* sive *comparatio* vi vocis (a). Locutionem obscuram cum acumine conjunctam denotat vox Matth. XV. 15. Proverbium, adagium, apophthegma alibi significat Luc. IV. 23. V. 36. VI. 39. monitum morale Luc. XIV. 7.

A

fimi-

similitudinem quoque & figuram Luc. XXI. 29. Hebr. IX. 9, XI. 19. in quo posteriore loco & *tyrum* significare posset (b). Communiter verò parabola in tabulis N. T. dicit historiam, sed verisimilem, eo fine confictam, ut altius & spirituale, quid sub isto velo significetur (c). Idem est *παροιμία* Joh. X. 6. aliàs locutio paulò obscurior & figurata Joh. XVI. 25. & proverbium 2. Pet. II. 22. Ebraicæ voces, quæ huc ex V. T. pertinent, sunt *משל*, *הדה*, *מליצה*, de quibus heic non est dicendi locus (d).

- (a) Confer Jo. Vorstii Philol. sacram P. 1. C. 4. p. 135, 136, 137, 138, 139, 140, 141, 142, 143, 144, 145, 146, 147, 148, 149, 150, 151, 152, 153, 154, 155, 156, 157, 158, 159, 160, 161, 162, 163, 164, 165, 166, 167, 168, 169, 170, 171, 172, 173, 174, 175, 176, 177, 178, 179, 180, 181, 182, 183, 184, 185, 186, 187, 188, 189, 190, 191, 192, 193, 194, 195, 196, 197, 198, 199, 200, 201, 202, 203, 204, 205, 206, 207, 208, 209, 210, 211, 212, 213, 214, 215, 216, 217, 218, 219, 220, 221, 222, 223, 224, 225, 226, 227, 228, 229, 230, 231, 232, 233, 234, 235, 236, 237, 238, 239, 240, 241, 242, 243, 244, 245, 246, 247, 248, 249, 250, 251, 252, 253, 254, 255, 256, 257, 258, 259, 260, 261, 262, 263, 264, 265, 266, 267, 268, 269, 270, 271, 272, 273, 274, 275, 276, 277, 278, 279, 280, 281, 282, 283, 284, 285, 286, 287, 288, 289, 290, 291, 292, 293, 294, 295, 296, 297, 298, 299, 300, 301, 302, 303, 304, 305, 306, 307, 308, 309, 310, 311, 312, 313, 314, 315, 316, 317, 318, 319, 320, 321, 322, 323, 324, 325, 326, 327, 328, 329, 330, 331, 332, 333, 334, 335, 336, 337, 338, 339, 340, 341, 342, 343, 344, 345, 346, 347, 348, 349, 350, 351, 352, 353, 354, 355, 356, 357, 358, 359, 360, 361, 362, 363, 364, 365, 366, 367, 368, 369, 370, 371, 372, 373, 374, 375, 376, 377, 378, 379, 380, 381, 382, 383, 384, 385, 386, 387, 388, 389, 390, 391, 392, 393, 394, 395, 396, 397, 398, 399, 400, 401, 402, 403, 404, 405, 406, 407, 408, 409, 410, 411, 412, 413, 414, 415, 416, 417, 418, 419, 420, 421, 422, 423, 424, 425, 426, 427, 428, 429, 430, 431, 432, 433, 434, 435, 436, 437, 438, 439, 440, 441, 442, 443, 444, 445, 446, 447, 448, 449, 450, 451, 452, 453, 454, 455, 456, 457, 458, 459, 460, 461, 462, 463, 464, 465, 466, 467, 468, 469, 470, 471, 472, 473, 474, 475, 476, 477, 478, 479, 480, 481, 482, 483, 484, 485, 486, 487, 488, 489, 490, 491, 492, 493, 494, 495, 496, 497, 498, 499, 500, 501, 502, 503, 504, 505, 506, 507, 508, 509, 510, 511, 512, 513, 514, 515, 516, 517, 518, 519, 520, 521, 522, 523, 524, 525, 526, 527, 528, 529, 530, 531, 532, 533, 534, 535, 536, 537, 538, 539, 540, 541, 542, 543, 544, 545, 546, 547, 548, 549, 550, 551, 552, 553, 554, 555, 556, 557, 558, 559, 560, 561, 562, 563, 564, 565, 566, 567, 568, 569, 570, 571, 572, 573, 574, 575, 576, 577, 578, 579, 580, 581, 582, 583, 584, 585, 586, 587, 588, 589, 590, 591, 592, 593, 594, 595, 596, 597, 598, 599, 600, 601, 602, 603, 604, 605, 606, 607, 608, 609, 610, 611, 612, 613, 614, 615, 616, 617, 618, 619, 620, 621, 622, 623, 624, 625, 626, 627, 628, 629, 630, 631, 632, 633, 634, 635, 636, 637, 638, 639, 640, 641, 642, 643, 644, 645, 646, 647, 648, 649, 650, 651, 652, 653, 654, 655, 656, 657, 658, 659, 660, 661, 662, 663, 664, 665, 666, 667, 668, 669, 670, 671, 672, 673, 674, 675, 676, 677, 678, 679, 680, 681, 682, 683, 684, 685, 686, 687, 688, 689, 690, 691, 692, 693, 694, 695, 696, 697, 698, 699, 700, 701, 702, 703, 704, 705, 706, 707, 708, 709, 710, 711, 712, 713, 714, 715, 716, 717, 718, 719, 720, 721, 722, 723, 724, 725, 726, 727, 728, 729, 730, 731, 732, 733, 734, 735, 736, 737, 738, 739, 740, 741, 742, 743, 744, 745, 746, 747, 748, 749, 750, 751, 752, 753, 754, 755, 756, 757, 758, 759, 760, 761, 762, 763, 764, 765, 766, 767, 768, 769, 770, 771, 772, 773, 774, 775, 776, 777, 778, 779, 780, 781, 782, 783, 784, 785, 786, 787, 788, 789, 790, 791, 792, 793, 794, 795, 796, 797, 798, 799, 800, 801, 802, 803, 804, 805, 806, 807, 808, 809, 810, 811, 812, 813, 814, 815, 816, 817, 818, 819, 820, 821, 822, 823, 824, 825, 826, 827, 828, 829, 830, 831, 832, 833, 834, 835, 836, 837, 838, 839, 840, 841, 842, 843, 844, 845, 846, 847, 848, 849, 850, 851, 852, 853, 854, 855, 856, 857, 858, 859, 860, 861, 862, 863, 864, 865, 866, 867, 868, 869, 870, 871, 872, 873, 874, 875, 876, 877, 878, 879, 880, 881, 882, 883, 884, 885, 886, 887, 888, 889, 890, 891, 892, 893, 894, 895, 896, 897, 898, 899, 900, 901, 902, 903, 904, 905, 906, 907, 908, 909, 910, 911, 912, 913, 914, 915, 916, 917, 918, 919, 920, 921, 922, 923, 924, 925, 926, 927, 928, 929, 930, 931, 932, 933, 934, 935, 936, 937, 938, 939, 940, 941, 942, 943, 944, 945, 946, 947, 948, 949, 950, 951, 952, 953, 954, 955, 956, 957, 958, 959, 960, 961, 962, 963, 964, 965, 966, 967, 968, 969, 970, 971, 972, 973, 974, 975, 976, 977, 978, 979, 980, 981, 982, 983, 984, 985, 986, 987, 988, 989, 990, 991, 992, 993, 994, 995, 996, 997, 998, 999, 1000.
- (b) Dicitur hic Abrahamus filium Isaacum, cujus immolationem Angelus impederat, *ἐν παραβολῇ* recepisse. Ubi ut plurimum interpretes vertunt, in figurâ, in typo, sive Christi ex mortuis resuscitandi, sive & fidelium olim resuscitandorum, vel ad similitudinem plurium in V. & N. T. jam resuscitatorum. Lamb. Bos in exercit. ad N. T. p. 247. putat, *ἐν παραβολῇ* idem esse ac *quasi* è mortuis. G. Raphelius existimat, idem hoc esse ac *παραβολῶς ἰσπερατὶ* apud Polybium in annot. in N. T. ex Polybio & Arriano p. 676. 1. Sed cl. Hombergk zu Vach in parergis sacris ad h. l. putat *ἐν παραβολῇ* idem esse ac *in presentissimo periculo*. Hinc apud veteres *Parabolani* illi dicti, qui peste grassante agrorum servitio sese addicebant vel spe lucri contra bestias pugnabant vel petrauro per ignem transilire non detestabant. Imò & Christiani olim subinde ita dicti, quòd confessione Christi maximis periculis & cruciatibus audacissime sese exponerent. Vide Saldeni otia Theologica L. 4. exerc. 5. §. 3. & Neumanni diss. cit. §. 6. p. 420. 421.
- (c) Confer Neumanni diss. citatam §. 5. p. 419. §. 7. p. 421. 422. Hujus hæc definitio est. *Parabolam dicimus figmentum verisimile, protasi & apodosis constans, quo Orientales potissimum Doctores, propositâ actionum humanarum non ludicrâ imagine doctrinam recondebant, ut sublimiora caperentur facilius torpentesque & rudes animi quâdam docendâ voluptate permulcerentur.* Adde Teilmannum in comm. ad Luc. XVI. p. 73. 1. sqq.
- (d) Vide Glaslii Philol. sacram L. 2. tr. 2. sect. 5. art. 1. §. 3. & Camp. Vitrim-gæ Vorbereitung über die Evangelischen Parabolen §. 10.

§. 2.

Differt itaque parabola ab historia, à simili vel exemplo, ab apologo, ab ænigmate, à fabulâ, à proverbio, ab allegoriâ, à pœmate & eclogâ, ab emblemate, à signo, à symbolo, à typo, à prophetiâ. Historia est

est rei verè gestæ narratio. Simile strictè sic dictum protasi & apodosi caret, vel saltem totam quandam historiam quasi gestam haud involvit. Exemplum non fictum sed verum esse debet (a). Apologus fictio est, quâ brutis vel rebus inanimatis actiones rationales tribuuntur, altius quid significandi ergò (b). Ænigma est sermo generalis, obscurus, cum acumine dicendi conjunctus, imò & subinde *ἐναντιοφάνης*, speciale quid, haud facilè divinandum, nullâ prorsus explicatione adpositâ, innuens (c). Fabula pressè sumta est fictio & narratio vana, scenica & dramatica, itidem haud verisimilis, ad ludicrum & vanum dicendi genus pertinens (d), ad quod fabulæ maximè Romanenses spectant (e). Proverbium est insignis sed brevis sententia, *κελεύει γυμνασίου* & gravis, acumen etiam quoddam secum ferens, celebrata in vulgus, notabile quid insinuans (f). Allegoria eaque Biblica est rei alicujus mysticæ seu spiritualis per aliam in Scripturis sacris narratam eamque haud fictam repræsentatio (g). Poëma uti & Ecloga ligatum dicendi fingendique genus est, parabola profaicum (h). Emblema non est fictio rei cujusdam tanquàm gestæ sed imago à rebus naturalibus petita ad altius quid significandum. Signum non semper rem repræsentat sed subinde indicat saltem, nec fictio rei tanquàm gestæ est, uti nec symbolum (i). Typus est rei alicujus, vel historix, vel personæ V. T. haud fictæ figura ex instituto divino rem aliquam, maximè N. T. præfigurans (k). Prophetia denique futurorum prædictio est, quæ per parabolam subinde fieri quoque potest, etsi hæc ad illam haud requiratur (l).

(a) Ast exemplorum duo genera esse, vera alia, alia falsa & ficta ait Aug. Buchnerus de commutatâ ratione dicendi p. 557. sqq. qui itidem p. 559. ad exempla quasi vera parabolas refert, contradicente tamen Neumanno in diss. de parabolâ §. 7. in primitiis diss. acad. p. 423.

(b) Tales apologi habentur Jud. IX. 8. sqq. 2. Reg. XIV. 9. sqq. Parabolas cum apologis confundit cl. Moshemius in diss. de patrefamiliâs & operariis in vineâ.

(c) Ast in parabolâ additur explicatio, vel facilè saltem ex circumstantiis & contextu divinari potest. Vide Dannhaverum in ideâ boni interpretis & malitiosi sophistæ p. 219. sqq. & Neumannum l. c. §. 10. p. 428. sqq. Exemplum ænigmatis habetur Jud. IX. etî Vossius L. 4. instit. Orat. C. 11. ænigma illud haud existimet, cum id, quod ænigmatè aliâs significatur, debeat

debeat esse res nota. Sed de ænigmatate confer Glassium in Philol. sacrâ L. 7. tr. 1. C. 22.

- (d) Plurimum itaque hallucinantur, qui parabolas eodem passu cum fabulis ambulare putant. Ita olim Erasmus, quem Salmero castigavit, ita deinceps H. Grotius, qui nomina *fabula*, *fabella* & *affabulationis* non tantum applicavit ad Matth. XIII. 3. 44. 49. Marc. IV. 14. &c. & L. II. de Jure belli & pacis C. 20. §. 48. sed & *fabularum ambages* Christo adscripsit, per quas aliqua mendacii species defendi queat L. 3. C. 1. §. 9. reprehensus eapropter à Cloppenburgio in exercit. Theol. Loco I. disp. 1. & in disp. 1. de Canone, & à J. A. Oliandro in Grotium de J. B. & P. p. 1179. ita & Guil. Saldenus in otii Theologicis L. 4. exerc. 3. de parabolis Evangelicis §. 4. p. 695. qui eapropter vapulat Marckio in Sylloge diss. ad selectos textus N. T. diss. 4. §. 4. p. 114. 115. Scilicet & ab apologo & à fabulâ differt parabola, quod hæc fingit id, quod verisimile est, apologus & fabula verisimilitudinis rationem haud habent. Etenim in parabolâ nulla habentur *ἀδύνατα*, sed Horatio iudice in arte poetica,

ficta voluptatis causâ sunt proxima veris.

Confer eundem Neumannum l. c. §. 8. 9. p. 424. sqq.

- (e) Profanum hæc dicendi genus involvunt, quod fictionem ultra, quam par est, continuat & in amatoriiis maximè casibus fingendis versatur, ad vanitatem maximè declinans, nimisq; fabulis & fœcis dictionis legentis attentionem fallens, et si & sint, quæ utilitatem quandam ferrefecum videantur, uti Fenelonii *avantures de Telemaque*, infœcio tamen autore ab ipsius cubiculario primùm editæ, egregiis observationibus moralibus ansam subministrantes. Sed confer hic Huetium de fabulis Romanensibus & Neumannum l. c. §. 16. p. 441. 442.
- (f) Adagia N. T. collegere Andreas Schottus, S. J. & Jo. Vorstius. Illius *adagia sacra N. T.* Antverpiæ A. 1628. edita fasci 111. exercit. Philolog. historicarum n. 5. p. 413. sqq. inseruit Thomas Crenius. Hujus diatribam de adagiis N. T. in syntagmate diss. de stylo N. T. p. 471. sqq. exhibuit Jac. Rhenferdius. De proverbiis V. T. addendus est Glassius in Philol. sacrâ L. V. tr. 1. C. 21. maximè verò & Martinus del Rio, Jesuita olim Salmanticensis, cujus extant adagia sacra Lugduni 1614. 4. edita. Utri verò parabolæ ab adagiis, ita & à *γνώμας* & *ἀποφθέγματα* differunt. Vide G. Calixti Concord. Evang. L. IV. C. 7. p. 183.
- (g) Confer, quæ hanc in rem C. 2. §. 1. 2. dicemus.
- (h) Dissentimus ergo hic ab Aristotele, qui pœsin quandam sine metro constituit, *ἰσοποιήσις* nomine insignitam. Vide Vossium de art. poet. nat. p. 8. sqq.
- (i) Vide diss. nostram de rectâ Theologiæ typicæ conformatione p. 8.
- (k) Dantur enim & antitypi in V. T. Vide H. Heisenii diss. de signo Jonæ in Museo Bremensi Vol. 1. P. 4. §. 15.
- (l) Confer infra §. 12.

§. 3.

Methodum docendi per parabolas familiarem olim fuisse gentibus orientalibus, Syris, Arabibus, Persis, Ægyptiis, imò & Græcis & Romanis dudum observârunt eruditi (a). Maximè verò illæ & Judæis fuere frequentatæ (b). Hinc Talmud ipsorum aliique libri antiqui ejusmodi *הגרות* *narrationibus* scatent (c). Hinc & ipsæ quoque parabolæ Evangelicæ subinde in Talmude leguntur (d). Ubi quæstio inter eruditos agitur, num Salvator optimus ex communi docendi ratione tunc frequentatâ desumerit illas, vel potiùs Judæi ex Evangelii istas suos in usus verterint (e), qui tamen illas aliter subinde recensent & alium in finem adhibent (f).

- (a) Vide Carpzovium in introd. in Theol. Jud. C. 8. §. 1. 2. ubi quàm maximè citat & exemplum Reginæ Sabæ Salomonem per ænigmata tentantis 1. Reg. X. 1. Douxtaum in analectis sacris N. T. p. 18. 19. Spanhem. Theol. Op. P. 1. col. 292. Pocockium in portâ Mosis p. 147. 150. Neumannum l. c. §. 12. 13. p. 434. sqq. Camp. Vitrinam in der Vorbereitung über die Evangelische Parabeln §. 11. cum notâ Jo. d' Outrein hujusque Einleitung über die Parabel vom verlohrnen Sohn §. 3. uti & cl. Jungendres in specimine philologico de veterum Gentilium & Judæorum Theologiâ mythicâ.
- (b) Vide Hieron. ad Matth. XVIII.
- (c) Confer hic prorsus J. C. Wolfii Bibliothecam Hebr. P. 2. C. 7. §. 1. sqq. p. 973. sqq. ubi & autores huc pertinentes citantur.
- (d) Ita parabola de femine Matth. XIII. 3. sqq. legitur in Talm. Hieros. Kilaïm C. 1. de operariis in vineâ in Gemarâ Hierosolymitanâ, cod. Brâchos & in Midrasch Kohelet itemque in Tanchuma, de decem virginibus Matth. XXV. 1. sqq. in Gemarâ Babylonicâ Schâbbas itemque & in Midrasch Kohelet, de servis Dominum ex nuptiis redeuntem expectantibus apud Kimchium ad Jes. LXXV. 13. 14. de drachmâ perditâ Luc. XV. 8. in Schir hasschirim rabba, & de divite epulone & Lazaro Luc. XVI. 19. sqq. in Gemarâ Babylonicâ Brâchos, recensentibus loca Julio Conrado Ottone in Gali Rafia L. 1. C. 16. quem etsi malæ fidei arguat Thomas Bangius in cælo orientis & prisca mundi exerc. 1. p. 53. ab imposturâ tamen heic absolvit Carpzovius in introd. in Theol. Judaicam C. 8. §. 3. Lightfoot in horis Talmudicis ad Matth. XX. 1. XXV. 2. & in operibus posthumis f. 42. Sheringhamio in præfat. ad cod. Joma, Sauberto in palæstrâ Theologico-philologicâ p. 277. 278. Vorstio in Philol. sacrâ P. 1. C. 4. p. 140. sqq. Cartwrighto in mellificio Hebraico ad Matth. XX. 1. sqq. XXV. 1. sqq. Luc. XV. 8. & Lœfflero in expl. par. de Patrefamiliâs & operariis in vineâ p. 9. 10. Ita & Jac. Altingius ad Dent. XV. refert ex Ebrais parabolam similem illi de œconomo injusto Luc. XVI. Verba refert Jo. d' Outrein in specimine observationum miscellanearum p. 203. sqq.

- (e) Autores huc spectantes allegavit cel. Wolfius l. c. §. 6. p. 978. Paucis addimus, prius affirmasse & Kœnigsmannum in prodomo clavis Propheticae p. 55. 196. & in diss. de parabolis Christi propheticiis p. 17. & ante ipsum Hammondum ad Matth. XX. 1. atque Saubertum l. c. posterus Carpozivum l. c. §. 3. & in præf. ad Lightfooti horas Talmudicas, itemque Rambachium in instit. Hermenevt. p. 537. 538.
- (f) Egregie hoc observant Basnagius in histoire die Juifs L. 3. Ch. 6. §. 15. p. 179. & Lœflerius l. c. p. 9.

§. 4.

Jam verò & character Messiaë hic quidam fuit, per parabolas populum docere. Monet hoc Matthæus XIII. 35. dicitque, eapropter hoc docendi genere usum fuisse Christum, ut impleretur id, quod Propheta dixerit: *Aperiam parabolis os meum, investigabo abscondita à fundatione mundi.* Propheta hic Asaphus (a) est & verba cubant Ps. LXXVIII. 2. Sed ais, in psalmo hoc nullas inveniri parabolas adeoque hanc Matthæi citationem vel huc haud quadrare, vel saltem accommodatitiam esse, cujus generis allegationes & aliæ in Novo Testamento dentur (b). Itaque vel ea, quæ in hoc Psalmo extant, typicè ad statum populi Israëlitiçi tempore Christi applicanda sunt (c) vel Christus non solùm ejusmodi מְשָׁלִים & חֲדוּת qualia Ps. LXXVIII. afferuntur, quæque ad curam Judæorum à Deo olim habitam pertinent, sed & alia, quæ nomen hoc adhuc magis tuentur, vi hujus oraculi suo tempore enarrare debuit (d). At, quid hoc est, quòd Christus à Matthæo dicitur *sine parabolis nihil ad populum dixisse* comm. 34. cum tamen simplici & clarâ oratione ad eundem sapissimè fuerit usus? Nodum hunc tangit Surenhusius (e) aitque, Christum, cum animadvertisset, Judæos ad simplicem illam doctrinæ propositionem oculos claudere, parabolico deinceps dicendi genere usum, ut elegantia & novitate dictionis percussu sermoni eò magis attenderent. Quæ itaque Matthæus hinc profert, ad tempus illud, quòtum dicebat ad populum Salvator, restringenda sunt.

(a) Vide 1. Chr. XVI. 37. XXVI. 1. 2. Chron. XXIX. 30. Calumniatus olim fuit Porphyrius, Matthæum ex ignorantia scripsisse, *Μὴ ἔμελλεν ἑρῶναι*, quod deinceps nomen in Ἀσάφ eapropter mutatum fuerit à Christianis. Utrunque scilicet nomen, notante & Hieronymo, olim in quibusdam codici-

dicibus existit, errore librarium, qui scholium ad marginem scriptum in textum immiserant. Sed genuina lectio sine dubio illa est, quam hodie universalis codicum consensus comprobat. Velim hic conferri, quæ hanc in rem eruditè scripsit ad h. l. Olearius in observ. sacris in Evang. Matthæi p. 408. sqq. Absurdum est, quod ait Whistonus, Judæos effatum illud ex Prophetâ Jesajâ, qui hic citatus à Matthæo juxta antiquos codices fuerit, sustulisse in the essay towards restoring the true text of the Old Testament p. 104. 315. 316. Notamus hic ἐν παρῶν, Critobulum illum Hierapolitanum, cujus extant literæ ad Origenem Adamantium, h. e. Rich. Simonem, non ipsum hunc Simonem esse, sed vel Jo. Clericum vel alium, qui literas hæc suffixit libello, cui titulus: defense des sentimens de quelques Theologiens de Hollande sur l'histoire Critique du Vieux Testament contre la reponse du Prieur de Bolleville p. 421. sqq. Id quod notamus contra cæl. Wolfii curas in Matthæum ad h. l.

(b) Confer hic infra C. 2. §. 1.

(c) Confer cæl. Michaelis ad Pf. LXXVIII. 1. p. 584. & imprimis Deusingium in demonstr. alleg. hist. V. T. L. 2. §. 90. sqq. p. 79. sqq.

(d) Vide hic Jo. Marckii syll. ad sel. textus N. T. exerc. 4. §. 7. p. 120. & cæl. Wolfium ad h. l. Quod restat, difficultatem hanc haud tetigit Th. Crenius, ubi in præfatione fascis III. exercitationum philologico-historicarum effatum hoc datâ operâ explicavit.

(e) in βίβλῳ καὶ ἀλλογῆς P. 243.

§. 5.

Et sic jam ad istam quæstionem devolvimur, quâ disputatur, cur parabolicâ istâ docendi methodo usus fuerit Salvator? Mentem nostram jam alibi (a) hanc in rem expressimus, ubi ita scripsimus, factum hoc à Christo, ut non solum ad infirmitatem populi communi huic methodo assueti condescenderet (b) sed & *mysteria regni cælestis amœno quodam involucro sic tegeter, curiositatem & attentionem hominum sic duplicaret, elegantibus istis ἐμβλήματασιν doctrinam suam eò clariorem redderet, memoriaque auditorum, cui emblematica & parabolica faciliùs adherent, sic consulere, imò & futura Ecclesia fata sub isto parabolarum schemate sic subinde depingeret.* Alii & hoc addunt, ut *œconomia obscuriori V. T.* ubi revelatio tam clara non erat, adhuc tantisper duranti Christus sese accommodaret (c), ut & modum docendi Prophetis familiarem servaret & homines crassos à rebus obviis & quas omnes caperent, ad res sublimes, nec intellectas duceret (d). Videri possent hæc non ad eò malè posita, nisi subinde in Evangeliiis diceretur (e), in parabolis ad populum locutum Christum, ut *videns ille*

non videat & audiens non intelligat, ne forte convertatur & remittantur ipsi peccata, non enim datum esse populo, arcana regni cœlestis nôsse. Alius itaque parabolæ finis videri potuisset apud impios & reprobos ac apud fideles & electos (f). Sed huic dubio jam olim obviavimus. Scilicet populo non datum erat nôsse mysteria salutis sine isto involucre parabolico, cœcutientibus ad lucem veritatis simplicis Judæorum propriâ culpâ occæcatorum vel de veritate muneris Messiani, quod gerebat Christus, nondum persuasorum oculis. Discipulis saltem competebat hæc prærogativa, quæ præstantior jam affulserat veritatis lux. Nec simpliciter dicitur, parabolæ ipsas propositas esse, ut videntes non videant, sed sub tacitâ conditione, nisi sensum parabolæ cum discipulis nôsse desiderarent. Designatur itaque his verbis non finis sed eventus prædicationis parabolæ, imò & hujus causâ, quæ hæc erat, quòd, uti jam dictum, ad propositionem veritatis simplicis tamen converti nollent miseri Judæi. Sic enim fiebat, ut justo Dei judicio veritati clarè propositæ genus dicendi involutum & parabolicum succederet, suâ tamen & nihilominus claritate & amœnitate radians (g) adeoque tum gratiæ divinæ antecedenti tum subsequenti judiciariæ suis modis pro variâ quoque auditorum ratione subserviens.

- (a) in vindiciis sanctitatis divinæ p. 24. 25. Adde Saldenum in otii Theol. L. 4. exerc. 3. §. 4. p. 695. 696. Neumannum in diss. de parabolâ §. 18. & Marckium in sylloge diss. ad sel. textus N. T. exerc. 4. §. 5. p. 116. 117.
- (b) Scilicet ita Christus ad populum, innuente Marco, dixit, *καὶ δὲς ἰδοὺ αὐτοῖς ἀπέειπεν* Marc. IV. 33. Vide Geamœnum de aliamoditate scribendi in miscellan. Lips. T. 5. obs. 99. p. 70.
- (c) Ita Witsius in œcon. fœd. Dei L. IV. C. 13. p. 619.
- (d) Ita Spanhemius in vindiciis Evangelicis ad Matth. XIII. 11. 13. Opp. Theol. T. III. col. 292.
- (e) Matth. XIII. 10. sqq. Marc. IV. 11. 12. Luc. VIII. 9. 10.
- (f) Vide Marckium l. c. §. 6. p. 117. 118.
- (g) Vide vindicias sanctitatis divinæ p. 25. sqq. & Episcopii instit. Theol. L. 4. C. 13.

§. 6.

Quæstio hic movetur à Josua Placæo, Theologo Salmuriensi, cur Apostoli parabolis haud fuerint usi? Ratio est, quia obscuritas illa
rece-

revelationis, quæ in V. T. militabat, non plenè quidem in confinio V. & N. T. cessavit, unde Christus, quemadmodum id prædictum quoque fuit, parabolis usus est, hoc verò mortuo & deinceps in cælos sublato, cum omnis V. T. ratio penitus evanisset, clarissima deinceps revelatio succedere debuit. Nam Johanne Baptistâ, ita Placeus, extrinsecus tanquam stellâ matutinâ exorto & Christo tanquam sole justitia exoriente, quamdiu ipsius infirmitatum & passionum opacitos intercipiebat radios gloria Dei in ejus facie fulgentes, minuebatur quidem umbrarum obscuritas ob luminis propinquitatem & aliquam revelationem, non tollebatur tamen prorsus, & fiebant tum quoque novæ quadam umbra sed ita tennes & exiles, ut vix umbra dici mereantur, quales sunt parabole, quæ nec tam crassæ, & uti ita dicam, reales sunt, quam umbra V. T. & plus habent lucis, minus obscuritatis. Proponuntur enim ut parabole, typi verò, ut res gestæ. Itaque in typis est sensus literalis obumbrans sensum mysticum, quæ in parabolis aut nulla omnino est aut non attenditur. Hæc Placeus (a). Sed num parabolis quoque insit sensus mysticus, infra dicemus.

(a) in diss. 1. de typis, §. 25. Operum T. 1. p. 8.

§. 7.

Duplex est uniuscujusque parabolæ pars, ipsa parabola, & id, quod per illam significatur. Illa *materiale*, hoc *formale* dicitur, illa *περίστασις* est, hæc *ἀπόδοσις*, illa *ἄρουρον*, hoc *ἄκρον*, quod vel expressè ponitur, vel subintelligitur tamen & subinde à lectore splendendum est. Atque hæc explicatio parabolæ vel simplex vel duplex est, simplex quidem, cum vel ab initio tantum vel in fine adjungitur, duplex, cum utrinque id fit (a). Aliter paulò Glassius, qui in parabolis *radicem*, *corticem* & *medullam* distinguit. *Radix* est scopus parabolæ, *cortex* parabolæ sensus literalis, *medulla* sensus mysticus (b). Res ferè eodem recidit.

(a) Confer Franc. Gomarum in explic. Matth. XXII. Operum T. 1. f. 80.

(b) Vide Philol. sacram l. c. art. 4. can. 3.

§. 8.

Parabolarum variæ species sunt. Sunt enim vel didascalicæ (a) vel elencticæ (b) vel pædevticæ (c) vel epanorthoticæ (d) vel pa-

raeticæ (e), ita tamen, ut una sæpè parabola ad diversas referri species possit (f). Imò dantur & parabolæ propheticæ, de quibus deinceps.

- (a) Pertinet hùc parabola de seminibus in diversa loca sparſis Matth. XIII. 3. ſqq. de bonis & malis in agro herbis ibid. comm. 24. ſqq. 37. ſqq. de grano ſinapis com. 31. ſqq. de fermento comm. 33. de ſemine in agro ſparſo & inopinatos fructus ferente Marc. IV. 26. ſqq.
- (b) e. g. de paſtoribus non per rectam portam in ovium ſtabulum ingredientibus Joh. X. 1.
- (c) Vide Luc. X. 30. ſqq. ubi de Samaritano, Judæo in viâ vulnerato opem ferente, Luc. XI. 5. ſqq. ubi de amico vicino, noctu panes intempèſtivè poſtulante Luc. XII. 33. ſqq. ubi de ſervis dominum redeuntem exſpectantibus, Luc. XVI. 1. ſqq. ubi de œconomo injuſto, domini bonis ſibi amicos parante agitur.
- (d) Speſtant hùc e. g. parabola de infantibus Judaicis, ludentibus cum ſociis, Matth. XI. 16. ſqq. de ſervo, cui Rex ingens debitum remiſit, qui verò à ſocio vile debitum aſperè & ſeverè exegit Marc. XVIII. 23. ſqq. de Phariſæo & publicano precantibus Luc. XVIII. 9. ſqq. de ove, item nummo perduto & reperto, ut & filio degenerè, ſed reſipiſcente filioque bonæ frugis Luc. XV. de divite in gehennam delato Lazaroque paupere in Abrahami ſinu recumbente Luc. XVI. ſqq. & de ficu precibus vinitoris adhùc parumper toleratâ Luc. XIII. 6. ſqq.
- (e) Confer hic e. g. parabolam de injuſto judice, à viduâ precibus inſtante, flagitante & urgente ad auxilium permoto Luc. XVIII. 1. ſqq.
- (f) Haud ſpernenda hæc obſervatio eſt cl. Læſleri in diſſ. de patrefamiâs & operariis in vineâ p. 161.

§. 9.

Præmiſſis hiſce, parabolæ Bibliçæ & primò quidem eas, quæ in V. T. habentur, paucis recensemus. Pertinent hùc parabolæ 2. Sam. XII. 1. ſqq. XIV. 5. ſqq. 1. Reg. XX. 39. ſqq. Jeſ. V. 1. ſqq. Ezech. XV. 1. ſqq. XVII. 3. ſqq. XXIII. 1. ſqq. XXXIII. 2. ſqq. itemque viſiones parabolicæ Jer. I. 11. 13. Ezech. I. VIII. IX. X. XXXVII. Amos VII. VIII. IX. Zach. I. 8. ſqq. II. III. IV. V. VI. quales & Apocalypticæ ſunt. Apologos, etſi naturam parabolæ habeant Jud. IX. 8. ſqq. 2. Reg. XIV. 9. Zach. XI. 1. ſqq. uti nec ænigma illud Jud. XIV. 14. (a) & apophthegmata Salomonis 1. Reg. IV. 32. hiſtoriasque & aſtiones emblematicas 2. Reg. XXII. 11. Jeſ. XX. 2. ſqq. Hoſ. I. III. Ezech. IV. V. XII. XXI. XXIV. hùc non referimus (b). Num libelli ſacri Ruth (c), & Jobi (d), item prophetia

pheta Jonæ (e) , num & libellus Judith (f) uti & historiæ Sufannæ , Beli & Draconis (g) parabolæ sint , disputatur . De Cantico Cantorum id certum est , licet explicatio dramatis hujus sacri & mystici varia sit (h) .

- (a) De edulio & problemate Simsonis mystico eruditissima dissertatio exstat Theologi quondam Bremensis , Godefr. Jungstii , Bremæ A. 1708. edita . Recenset ille primùm Interpretum , ænigma hoc allegoricè explicantium sententias , aitque , esse , qui per leonem prostratum diabolum , esse , qui Christum figuratum dicant , esse & , qui tentationes & afflictiones illo significari putent , quæ sententia posterior Corn. à Lapide & Altingii sit , Vitrinam observ. L. 6. C. 21. Paulum conversum per leonem indigitatum velle , ipse denique prostratum à Christo imperium Romanum gentile per leonem heic intelligit . Aliam nuper hujus ænigmatis solutionem mysticam dedit in Naziræo suo , cui insertus est Simson literalis & mysticus , Amstelædami A. 1727. edito Bernh. Seb. Cremerus , Theologus hodie Harderovicensis , dignam sanè , quæ attendatur . Hic postquam p. 325. sqq. Vitrinam refutasset , per leonem diabolum intelligendum ait , devictum à Christo , Simsonis antitypo , per parentes Simsonis Judæos cæcos , quibus ænigma Evangelii haud revelarit ille , per sponsam Philistæam Ecclesiam ex gentilibus collectam , per apes primos post victum Diabolum fideles & Christianos , per mel charismata Spiritus S. per convivium nuptiale regnum Dei , ad quod vocandæ essent gentes , per septem dies septem periodos N. T. per vestes nuptiales gloriam Christianorum , & sic deinceps . Quæ nostra hic mens sit , paucis ediximus in dem kurzen Abriss vom vahren Christenthum p. 138. Qui plura nôsse voluerit , adeat peculiare dissertationes de hoc Simsonis ænigmatæ à Frischmutho , Strauchio , Kirchmajero editas .
- (b) Confer hic A. L. Königsmanni disput. de emblemat. Prophet. constitut. Kilon. 1712.
- (c) Ita existimat Herm. von der Hardt , libellum hunc effigiare historiam Simonis Hyrcani Patris , Pontificis item & Principis , in Ecclesiâ & Republicâ Judaicâ eminentis . Vide Ænigmata prisca orbis f. 243. 321. Ipsa deductio nondum , quod mihi constet , prodiit . Sunt & , qui allegorias & typos hic quærant . Ita Pontificii per Rutham Mariam Deiparam figurari putant , alii , uti Biermannus , vocationem gentium ad Ecclesiam & Christi desponsationem hic typicè adumbrari existimant . Vide J. G. Carpzov. introd. ad libros Bibl. V. T. eosque historicos p. 200.
- (d) Ita Judæi in Baba Bástra , ita Junilius , Episcopus Africanus , ita Anabaptistæ antiquiores , ita Menétrierius , Jesuita Gallus de dramatibus Musicis veterum & hodiernis , ita Clericus dans les sentimens de quelques Theologiens de Hollande sur l'histoire critique du P. Simon p. 274. sqq. quem refutarunt Witius in diss. epist. ad Ulr. Huberum de Script. S. autoritate divinâ §. 23. p. 21. sqq. & Majus in sel. diss. 1. de Scr. S. §. 26. p. 43. sqq. Ita maximè cel. Hardtius , qui putat , autorem libri Jobi , Poëtam & Oratorem excellentem statum gentis Israëlitiæ in Assyriaco exilio symbolis admirandis ,

tragædorum arte pinxisse. Idem duodecim animalia terrestria Jobi C. XXXVIII. XXXIX. symbola duodecim urbium & popolorum proximè circa terram Israëliticam per omnes fines esse asserit, Jobique hippopotamum C. XL. 15. sqq. regni Ægyptiorum symbolum esse putat. Vide Tomum I. in Jobum, maximè f. 244. sqq. 254. sqq. 498. & adde G. L. Asteri diss. nuperam de hypothèsi dramaticâ S. Codici illatâ §. 7. sqq.

- (e) Ita idem cel. van der Hardt vaticinia Jonæ in meras parabolas vertit. Quæ enim in primis capitibus de Jonâ in pisce dicuntur, de Manasse in exilium Assyriacum abducto & in urbe Lybon captivo explicat & preces Jonæ per preces Manassis pro libertate obtinendâ factas egressumque è pisce de Manasse è carcere liberato & in Judæam reduce exponit. Ita &, quæ Jon. III. IV. referuntur, de Josiâ Rege Judæ interpretanda censet, sub Assyriorum jugo libertatem desiderante, Phraorte & Cyaxare, Regibus Medorum Ninum obsidione claudentibus, quâ per eadem Phraortis à Chinaladano Assyrio factam solutâ impatiens Josias, novam spem de Nino per Cyaxarem (qui per ricinum Jonæ designatus putatur) evertendâ conceperit, vanam tamen & hanc, cum Indathyrsus Scythæ & Cyaxarem Ninum obsidentem fuderit, & sic, quemadmodum Josias miseratus fuerit Cyaxaris fusi, ita Deus pepercit Nino delendæ. Vide passim libellos hanc in rem compositos, quæ in ænigm. prisca orbis, ubi Jonas in historiâ Manassis & Josiæ representatur, exstant. Alibi aliter ænigma hoc Propheticum explicatur, ubi Ninive in Samariam, Rex Ninive in Jeroboamum II. carcharia seu cetus in Jonæ Mufæum Samaritanum & Tarsus in Sardem transformatur, aliâ adhuc interpretatione adjectâ, quâ Jonas hic populum Israëliticum representare dicitur, in exilium Assyriacum & urbem Ninum & Kir, symbola piscis vel carchariæ, deportandum. Vide l. c. f. 243. sqq. Loca Matth. XII. 40. XVI. 4. Luc. XI. 32. ita exponit l. c. f. 254. *Jonam suo ævo Israëlitis penitentiam nunciâsse Ninivitarum nomine, atque ita & Christum Judæis penitentiam nunciare velut Ninivitis ille aut veteribus Israëlitis. Jonam Ninivitis aut Samaritanis impænitentibus proximum per Assyrios exilium denunciâsse, sic & Christum impænitentibus Judæis ultimam per Romanos interneccionem denunciare. Sicut verò Jonas triduo commoratus fuerit in ventre piscis pro symbolo triduana sue commorationis aut functionis apud Samaritanos, ita & Christum tribus annis in Judæâ, in medio terra Judæorum apud Hierosolymitanos versaturum & penitentiam Judæis constanter nunciaturum fuisse. Quo pacto Christus Judæis signum aut symbolum illorum, quæ de Judæorum exilio diceret, quærentibus appositisimè responderit: Gens hæc Judaica, mala & adulterina, ut quondam Israëlita tempore Jonæ signum querit, nec exitium ipsis annunciatum admittit sine longis symbolis more Prophetarum, signum ergo & symbolum Judæi habentio Jonæ sive Jonam Prophetam ipsiusve doctrinam & facta, habeant sibi ipsosmet Jonæ libros de exitio Samaritanorum Ninivitarum nomine, sciantque parem Judæorum fore fortunam, in dâci Judæis nunc exitium propinquum intra 40. annos, sicut olim per Jonam Samaritanis indictum exitium intra 40. dies. Pergit Vir doctus: De triduo sue mortis & sepulture Christum hoc loco immediatè & propriè non agere, ipsa fætorum comparatio quoad omnes partes subindicat. Neque enim Jonas triduo illo mortuus ut*
- Chri-

Christus, sed vivus oravit pro populo Israelitico. Christus igitur triduum suae functionis sive trium annorum ambitum vix multò longiorem fore denunciavit, quia Christum diutius non essent toleraturi sed maturimè è medio sublaturi. Neque Christus triduo integro tribusve diebus & noctibus integris in sepulchro fuit sed in tertium solùm diem, nec nisi duabus iisque non integris noctibus. Tribus verò annis integris & paulò ultra, tribus cum dimidio, vitam docendo apud Judaeos transegit. Atque hæc omnia ita von der Hardt, quod existimavit, literam in textu Jonæ pressam immanes absurditates involvere, maximè & hanc, quod Jonas in ventre ceti vivus supponendus sit. Cui quidem difficultati ita occurrit nuperrimus in Jonam Commentator, Brandanus Henr. Gebhardi, Theologus Gryphisvaldensis, ut post Peterfenium ad h. l. statueret, Jonam in mare projectum mox suffocatum mortuumque à ceto deglutitum esse, cum verò ab ipso rursus evomeretur, à Deo per miraculum in vitam revocatum fuisse, qui idem & historiam Jonæ totam typicè de Christo post mortem & resurrectionem suam per Apostolos gentibus penitentiam & remissionem peccatorum prædicante exponit. Vide Jonam ipsius enucleatum p. 46. sqq. 89. sqq. 139. sqq. Unde & addit porrò, Jonam preces illas haud in ventre ceti, sed, postquam cetus illum evomisset, & post resurrectionem suam fudisse. p. 63. sqq. Jam verò Hardtium hæc refutavere Biermannus, Olearius, Wolfius; maximè verò Jo. Henr. à Seelen in examine hypothesos exegeticæ de Jonâ ænigmatico, quos autores laudat & hic cel. Walchius in exercitatione de variâ indole interpretum Scripturæ sacræ C. 1. §. 11. p. 33. 34. Quod restat, historiam Jonæ fabulis penitus annoveravit Rabbinus ille Patavinus, cujus argumenta recensentur in libello: recueil des pensées du Comte J. O. (Oxenstirn) sur divers sujets T. 5. p. 86. sqq. Rationes verò illius destructas vide in Bælii dict. hist. & crit. titulo *Jonas*.

- (f) Libellum Judith ob summas difficultates historicas heic occurrentes nec sanè solvendas in piam fabulam vertit Jo. Christoph. Artopæus, Historicus olim Argentoratensis in meletemate historico, quo disquiritur, utrum narratio de Judith & Holopherne historia sit, an epopœia? & quod Argentorati A. 1694. prodiit. Lutheri aliorumque sententiam se hic secutum Vir doctus profiteatur. Ita nempe & H. Grotius sensit, & ante hunc Chytræus, Beroaldus, Reincecius, ita & ex recentioribus in prolegomenis in Judith Jo. Alb. Fabricius. Difficultates historicas nec Rob. Bellarminus solvit, cui pec. exercitationem in historiam Judith heic opposuit Christianus Kortholtus, neque etiam, qui veritate historix Judithæ libellum Gallicum Parisiis A. 1690. scripsit novamque hic sententiam ferè dedit, Bernhardus de Montfaucon. Confer hic, si placet, cel. Buddei histor. Eccles. V. T. T. 2. p. 611. sqq.
- (g) Uterque sanè libellus fabulam olet. Confer Spanhemii disput. 10. de libris Apocryphis & cel. Buddei histor. eccles. V. T. T. 2. p. 775. sqq. quicquid heic ajat cum Pontificiis Huetius in demonstratione Evangelicâ, prop. 4. eo loco, ubi de prophetiâ Danjelis disserit.
- (h) Itaque epithalamium hoc Salomonæ non est, uti putavere ii, quos in diss. de restâ Theologiæ propheticæ conformatione p. 38. nominavimus, quibus & accensendus venit Jac. Basnagius in histoire du vieux & du nouveau

Testament p. 110. Neque verò & illud, uti cel. von der Hardt in *enigm. prisci orbis* f. 243. statuit, historiam Jo. Hyrcani, Pontificis & Principis Judæi refert, quam sententiam refuratum in *diff. epistolicâ* ivit J. H. à Seelers Lubecæ A. 1726. editâ. De aliâ itaque eâque mysticâ applicatione quæstio est, ubi paucis monemus, à vero hic aberrare G. Arnoldum, qui sponsum, qui in hoc cantico celebratur, non esse Christum, quæ communis sententia est, sed spiritum sive hominem internum & sponfam cœlestem Sophiam dixit in dem *pöetischen Lob- und Liebes-Sprüchen von der ewigen Weisheit nach Anleitung des Hohen-Liedes Salomonis*, errare & Pontificios, quæ sponfa illa Maria virgo est, errare denique & Coccejum cum sequacibus, qui futura Ecclesiæ fata cum septem periodis suis & Antichristo quoque & hæreticis in hoc Cantico viderunt. Confer hic Petri Joncourti *entretiens sur les différentes methodes d'expliquer l'Écriture & de prêcher, de ceux, qu'on appelle Coccejens & Voëtiens dans les Provinces unies*, entr. 3. p. 268. sqq.

§. 10.

Ad parabolas N. T. nunc citato gressu pergimus. Mirum est, in Evangelio Johannis nullas inveniri parabolas (a). Itaque ex Evangeliiis Matthæi, Marci & Lucæ extrahendæ illæ veniunt (b). Apud Matthæum habentur XVIII. Ita quippe Matth. VII. 24. sqq. exstat parabola de domo petræ vel arenæ inædificatâ, quæ & Luc. VI. 48. 49. repetitur (c), Matth. XI. 16. 17. de pueris in foro sedentibus, quæ & Luc. VII. 32. recensetur (d), Matth. XIII. 3. sqq. de semine variis terræ generibus infito, quæ & Marc. IV. 3. sqq. Luc. VIII. 4. sqq. occurrit, ibidem comm. 24. de Zizaniis ab inimico bono semini immistis (e), comm. 31. 32. de grano sinapis (f), quæ & Marc. IV. 31. 32. Luc. XIII. 19. XVII. 6. exstat, comm. 33. de fermento (g), uti confer & Luc. XIII. 21. comm. 44. de thesauro in agro abscondito (h), comm. 45. 46. de margaritâ (i), comm. 47. de sagenâ in mare projectâ (k), comm. 52. de œconomo è thesauro suo antiqua & nova proferente (l), Matth. XVIII. 23. sqq. de injusto œconomo, cui Dominus remiserat omnia, qui verò conservo debitum exile remittere noluit (m), Matth. XX. 1. sqq. de patrefamiliâs & operariis in vineâ (n), Matth. XXI. 28. 29. de duobus filiis in vineam abire recusantibus, ibid. comm. 33. sqq. de vinitoribus œconomi, servos ipsius, denique & filium occidentibus, quæ & Marc. XII. 1. sqq. Luc. XX. 9. sqq. reperitur, Matth. XXII. 2. sqq. de Rege nuptias filio parante (o), Matth. XXIV. 43. sqq. de œconomo & ser-

servis vigilantibus (p), ubi & Marc. XIII. 34. Luc. XII. 36. sqq. conferri potest, Matth. XXV. 1. sqq. de decem virginibus (q) & ibid. comm. 14. sqq. de talentis à Domino servis concreditis, qualis & Luc. XIX. 12. sqq. exstat (r). Marcus unicam saltem parabolam solus recenset C. IV. 26. sqq. de semine semel jacto sponte progerminante (s). Lucæ denique soli XV. parabolæ vindicandæ sunt. Ita Luc. VII. 41. 42. habetur parabola de trapezita debitoribus duobus debita condonante (t), Luc. X. 30. sqq. de Samaritâ Judæo in viâ Hierichuntinâ vulnerato misericordiam exhibente (u), Luc. XI. 5. sqq. de amico mediâ nocte ad panes commodandos requisito (x), Luc. XII. 16. sqq. de divite in divitiis suis stolide sibi blandiente, Luc. XIII. 6. sqq. de ficu sterili tandem excisâ (y), Luc. XIV. 16. sqq. de magno convivio, quod invitati recusavere, ibid. comm. 28. sqq. de ædificaturo turrim & comm. 31. 32. de Rege in bellum ituro antea probè deliberantibus, Luc. XV. 4. sqq. de ove & drachmâ perditis (z), ibid. comm. 11. sqq. de filio perduto (aa), Luc. XVI. 1. sqq. de prudentiâ æconomi injusti, ibid. comm. 19. sqq. (bb) de divite epulone & Lazaro paupere (cc), Luc. XVII. 7. sqq. de servo voluntatem Domini faciente, Luc. XVIII. 2. sqq. de viduâ ab injusto Judice precibus auxilium impetrante (dd), & comm. 10. sqq. de Phariseo, & publicano (ee). Itaque in tribus hisce Evangeliiis XXXIII. parabolæ recensentur, quibus vel rationes regni cælorum (ff) & æconomiæ divinæ cum hominibus vel officia fidelium explicantur.

- (a) nisi huc referas similitudines Joh. III. 8. 29. IV. 10. sqq. 35. sqq. quem posteriorum locum in diss. de operâ ministerii Evangelici adumbratâ sub emblemate collectionis, quæ fit tempore messis, Bremæ A. 1719. exposuit Danj. Gêrdes, C. X. 1. sqq. XII. 24.
- (b) Sic parabolâ Evangelicâ uno fasciculo comprehendit Erasmus, libro parabolâ seorsim edito A. 1614. 12. Spectant & huc Levini Lemnii similitudines & parabolâ A. 1626. 12. editâ, ut alios Autores à Lipenio in Bibliotheca Theologicâ, voce *parabola* citatos taceamus.
- (c) Sensus hujus parabolâ facilis est. Alii ad adagia verba hæc referunt. Vide Schotti adagia N. T. p. 21.
- (d) Hanc parabolâ datâ operâ idiomate Belgico explicavit Jo. d' Outrein.
- (e) Nota, per *semen* hic non intelligi verbum Dei, ut aliâs, sed fideles. Parabola hæc prophetica est, licet ad fata Ecclesiæ N. T. singularia nimis pressè applicetur à Vitringâ in explicatione hujus parabolâ §. 94. sqq.
- (f) Granum sinapis non est Christus, nec Evangelium, sed Ecclesia Christiana, quæ

quæ sensim & quidem à parvis valdè initiis ad immensum crevit. Et hæc parabola suo sensu prophetica est. Vel fides hic intelligitur, quæ à parvis initiis maximum subinde incrementum sumit. Vide Marckii syll. ad sel. textus N. T. exerc. 4. §. 12. p. 132.

- (g) Sunt, qui fermentum in bono, sunt, qui in malo sensu fumant. Illi per fermentum intelligunt Evangelium, cujus prædicatio totum mundum pervasit. Hæc communis sententia est, quam & ad hanc parabolam sequuntur Melchioris, Vitringa & Marckius. Hi corruptionem Christianismi in doctrinâ & cultu, quæ sensim sensimque totam Ecclesiam pervasit. Ita van Til & Huyfinga in h. l. ira Teelmannus in explicatione hujus parabole, quæ exstat in ipsius commentario critico & Theologico ad Luc. XVI. p. 54. sqq. ita Gurtlerus in lexico vocum typico-Propheticarum ad vocem *fermentum*, ita Theoph. Amelius sive Pet. Zornius in der Erörterung der dunkelsten Schrift-Stellen im N. T. P. 1. p. 461. sqq. qui & subinde per *ἡεῖα σάρτα* farinæ intelligunt Zosimum, Jo. Jejunatorem & Bonifacium III. id quod oppido contortum, rectè observante Marckio in sylloge diss. ad selectos textus N. T. ex 4. §. 13. p. 133. & H. Scharbau in paregicis philologico-theologicis P. 2. p. 46. Alijs argumenta utriusque partis æquale ferè robur habent.
- (h) Thesaurus hic Ecclesia vera est, sæpius abscondita & invisibilis, vel doctrinâ Evangelii, quam illa proficitur. Vel Christus fuerit ille aut bona gratiæ & gloriæ, in agro Ecclesiæ invenienda. Vide Marckium l. c. §. 14. p. 1. 36. 37.
- (i) Margarita vel Christus est vel doctrinâ Evangelii, vel Ecclesia, vel salus per Christum parva. Vide Marckium l. c. §. 15. p. 159.
- (k) Per sagemam intellexerim Ecclesiam visibilem, uti Huyfinga ad h. l. non verò verbum Evangelii, uti van Til & Vitringa ad h. l. qui & hanc parabolam non de judicio extreme sed de statu Ecclesiæ prospero adhuc futuro explicant, ubi boni à malis separandi & sic Ecclesiâ expellendi & inferno adjudicandi sint.
- (l) Hoc de V. & N. T. communiter explicatur, rectius de doctrinis fidei jam olim cognitæ & nunc demùm clariùs revelatis. Nolim hic cum Oleario ad scripturæ sacræ literam & sensum spiritualem præcisè respicere, vel cum Ellnero *vetera & nova vasa* intelligere, quæ vel irrogenitos vel regenitos significent.
- (m) Parabola hæc expositionem adjunctam habet. Mirus hic explicationis Prophetiæ, cum tamen parabola hæc prædeutico-elenctica sit, excessus est, quem committunt Nic. Gurtlerus in systemate Theologiæ Profericæ p. 542. S. van Til ad h. l. & C. Vitringa ad hanc parabolam putantes, per *ὄφθαλμοὺς* Romanum Pontificem, per conseryum vel Patriarcham Constantinopolitanum, vel testes veritatis & Ministros Evangelii designari.
- (n) Haud dici potest, quàm diversa sit interpretum in explanandâ hâc parabola mens. Ostendunt hoc maximè cogitata recentiorum Melchioris, Huyfingæ, Vitringæ, d'Outreïn, Grænevægen, Trilleri, Peterfenii, anonymorum in dem Berlinischen Heb-Opffern, Schrammii, Hafsi, Hederichii,

richii, Ouseelii, Lœfleri, Moshemii, Gerdesii, quæ heic recensere nimis industria opus foret. Nos, qui in omnibus istis hypothesibus difficultates observamus haud facile superabiles, existimamus, Christum parabolâ hâc inter Judæos notissimâ usum, eo saltem fine, ut ostenderet, nihil tanto-perè Deo displicere, quàm genium illum mercenarium, quo acti homines, maximè verò Ministri Evangelii pro laboribus suis & bonis operibus mercedem ab Ipso possant. Arbitrio itaque & gratiæ divinæ hoc in solidum esse relinquendum, nec Deo manus hîc ligandas. Futurum aliàs, ut, qui primos sese existiment, ultimi evadant, imò gratiâ divinâ excidant prorsus, eosque ex tot vocatis solos sed paucos electos esse Dominoque probari, qui nihil deberi sibi existiment, sed omnia gratiæ ipsius velint referenda. Itaque nihil speciale hîc de operariis, de vineâ, de diversis vocationis ad operandum horis, de denario, de murmure determinandum censemus, etsi cogitata homiletica omnium interpretum, quæ suâ subinde probabilitate sese commendant, haud prorsus rejiciamus multæque omnino applicationes hîc utique fieri possint. Confer, quæ dudum hanc in rem scripsimus in diss. nova de pacto inter Deum Patrem & Filium p. 8.

- (o) Nota, per hominem veste nuptiali haud indutum, per ἑταῖρον Antichristum hîc intelligi ab iis, quibus familiare est, parabolas in vaticinia vertere. Ita hîc Melchioris, Vitringa, d' Outrein &c. Mirum est, in eandem sententiam descendisse A. L. Königsmannum in diss. de homine veste nuptiali non induto Kilonii A. 1711. editâ.
- (p) Nota, per servum, qui conservos plagis afflixit, comm. 49. intelligi à Vitringâ & aliis Pontificem Romanum.
- (q) Parabolam hanc ad tempus excidii Hierosolymitani Hammondus, ad judicium in mundum, quod millennium Apocalypticum antecedit, van Til & Huyfinga, sed malè referunt. Prorsus enim ad judicium extremum spectat. Num decem virgines sint Italia, Gallia, Germania, Anglia, Helvetia, Belgium, Bohemia, Hungaria, Dania, Suecia, contra Grænevvegenium & Vitringam disquirat H. Scharbau in parergis T. 2. p. 47.
- (r) Et hanc parabolam prophetice explicat Vitringa, mirisque modis, quid per unum, duo, quinque talenta intelligatur, determinat d' Outrein notatus eapropter à Scharbavio l. c. p. 48. Confer hîc potius L. H. Theringii diss. de benè administrando talento in Miscell. Lips. T. 7. obs. 154. p. 265. sqq. & diss. nostram alteram de pacto inter Deum Patrem & Filium p. 12.
- (s) Parabolam hanc datâ operâ explicatum ixit Jo. d' Outrein in appendice ad parabolas Luc. XV. de filio prodigo & Luc. XVI. de œconomo injusto, linguâ Belgica. Quid hîc per semen intelligi debeat, ex Matth. XIII. 24. sqq. argui potest.
- (t) Confer hîc cl. Rusii harm. Evang. T. 1. p. 983. sqq.
- (u) Nota, peccare 1. qui hanc parabolam in historiam vertunt, quod à quibusdam factum, 2. qui eam de primo homine ex felice statu in miserrimum lapsu interpretantur, uti Pontificii, quos hîc refutat Franzius de interpret. Scr. sacræ p. 763. 764. 3. qui per Samaritanum Christum, per hominem à latronibus vulneratum populum Judaicum, per latrones diabolos, per oleum

& vinum gratiam justificantem & sanctificantem, per hospitium Ecclesiam, per hospitem Ministros Evangelii, per duos denarios V. & N. T. per id, quod amplius infumturus esset hospes, consilia Apostolorum privata intelligunt, uti Vitringa. Sunt hæc cogitata homiletica, quæ scopum parabolæ haud feriunt. Nota 4. verba comm. 36. ita interpretanda esse: *quis horum trium tibi videtur proximi officio functus erga eum, qui in latrones incidit?* Ex quo & prono nexu sequitur, vulneratum hunc, licet Judæum, Samaritæ quoque proximum fuisse, adeoque, proximum, qui amandus sit, esse quoque inimicum. Vid. cl. Rusii Harm. Evang. T. 2. p. 531. sqq.

- (x) Hic per amicum peregrè advenientem Vitringa intelligit gentiles, per amicum panes petentem Apostolos, converfores gentilium, maximè Paulum, per amicum panes dantem Christum, per mediam noctem tenebras spirituales, quæ tunc mundo incubabant, per tres panes gratiam Christi in tres mundi partes Matth. XIII. 33. erogandam. Ast quis non videt, gratis hæc fingi?
- (y) Hanc parabolam datâ operâ lingua Belgicâ exposuit Jo. d' Outrein, qui idem & historiam illam de ficu sterili maledictâ Marc. XI. 12. sqq. in parabolam vertit & eadem ratione in illam commentatus est.
- (z) Quæritur, num per 99. justos hic intelligantur justî saltem putativi & suâ saltem falsâ opinione tales vel re verâ justî aut beati in caelis? Prima sententia sine dubio præstantior est. Vide tamen Spanhemii dubia Evangelica P. III. p. 14. sqq. Hackspanii notas Phil. Theol. in Script. S. P. 3. p. 332. 333. Sauberti opera posthuma p. 114. Marckii exercit. text. 32. p. 345. sqq. Fabricii Cod. apocr. N. T. P. 2. p. 572. & Bibl. Brem. Cl. 1. fasc. 2. num. 4. p. 99. sqq.
- (aa) Duos istos filios, & natu majorem quidem Judæos, natu minorem vero gentiles designare putant Melchioris & Vitringa ad hanc parabolam & d' Outrein tum in explic. Belgicâ hujus parabolæ, tum in observationibus miscellaneis tractatui de Melchisedeche non Henocho affixis p. 163. sqq. E contratio filius prodigus populum Judaicum designat Driesenio & Creyghtono, cui hanc in rem pugna cum d' Outreinio intercessit. Torquentur hic omnia. Id quod & ex eo liquet, quod comm. 15. *ἔτι τῶν πολλῶν* Vitringæ Philoſophi sunt, d' Outreinio Diabolus.
- (bb) Hanc parabolam datâ opera illustrârunt Melchioris Opp. T. 2. p. 617. sqq. Lomejerus, Teelmannus, Vitringa, d' Outrein & quàm maximè Ant. Driesenius, qui 1. illos refutat, qui per œconomum principes populi Judæici, Sacerdotes, Scribas & Phariseos intelligunt, citatos ad reddendas rationes ob ministerium sctum male gestum & per propriam conscientiam & per Johannem Baptistam & per Messiam ipsum, qui & fodere h. e. per opera justificari nequiverint & mendicare h. e. justitiam Christi expetere noluerint, sed ad conciliandos populi animos & illi permiserint, non tantum olei & frumenti sacris templi impendere, 2. etiam populi obligationem, quâ adstringebatur legi, magnam partem solverint, ipsius favorem aucupantes, qui & excisa Republicâ Judaicâ, illos in tabernacula sua receperit, 2. ita hanc parabolam exponit, ut ajat, parabolam hanc spectare ad publicanos, quales

& exstiterint quidam Christi discipuli, hos ab Imperatore Romano, ob malam administrationem removendos, tabulas deinceps, in quibus cujusvis facultates fuerint consignatae, mutavisse, ut post remotionem suam invenirent, qui ipsos reciperent. Prudentiam verò hanc laudasse non hominem illum divitem, qui sit Imperator Romanus, sed Dominum œconomum, h. e. Procuratorem Judææ, qui itidem, uti publicani in minori, ita ipse in majori Cæsarem defraudaverit. Hæc Driessenius in diatribæ de principiis & legibus Theologicæ emblematicæ, allegoricæ, typicæ & propheticæ p. 93. sqq. Jam & per æterna tabernacula Ecclesiam N. T. cum Teelmanno, Driessenio, aliis, & per amicos Apostolos intelligendos esse docuit Vir ingeniosus, Jo. Per. Grünenbergius in diss. ad h. l. Probabilius alii per amicos Deum & Christum quoque intelligunt, utpote qui soli in æterna tabernacula recipere possunt & charitate erga pauperes administratâ *φίλοι* redduntur Danj. IV. 24. et si heic juxta alios Angeli quoque intelligi possint, qui animas in cœlum deferunt Luc. XVI. 22. vel juxta communem interpretationem *recipiant vos* explicari satis bene possit per *recipiamini*. Mira est B. P. Karlii sententia, per *φίλοι* gentes esse intelligendas, Christum enim *discipulis commendare*, ut ex bonis Domini, lege videlicet cærimoniali & typicâ jam abrogatâ & terrâ Canaan jam relinquendâ (hæc enim per divitias iniquas vel malè administratas intelligit) *sanctiore prudentiâ* lucrum faciant, nempe, ut his venditis h. e. abdicatis, pretium eorum sive internum valorem, h. e. τὸ πλεονέκτημα τῆς διδασκαλίας sibi comparatam dent pauperibus, h. e. predicent gentibus, eos cum gaudiis recepturis in cœtibus suis sempiternis, è Judæâ, sicut anima è corpore mortuo emigrat, emigraturos. Vide Musæum Bremensè Vol. I. P. 2. n. 1. §. 18. p. 209. 210. Sed quàm frigida hæc sint, quivis videt.

(cc) Sunt, qui parabolam hanc non putent, sed historiam, parabolico modo propositam. Sed dissentiunt communiter Interpretes. Autores huic spectantes recensuit cl. Wolfius in curis ad Evang. p. 701. qui & illos dat, qui parabolam hanc datâ operâ explicavere & quibus saltem Groenevvegen atque Vitringam adjicimus. Mira circa allegoricam & propheticam illius explicationem Lomejeri, Teelmanni, quem & Vitringa hic sequitur, & Deusingii somnia in diss. de rectâ Theologicæ typicæ conformatione p. 24. sqq. recensuimus. Add. cl. Rusii harm. Evang. T. 2. p. 793. sqq.

(dd) In hanc parabolam datâ quoque operâ scripsit Jo. d' Outrein. Vide de *balsam Gileads* p. 163. sqq. Vitringæ Judex injustus sunt Imperatores Romani, vidua verò Ecclesia Christiana, quæ à Constantino M. tandem exaudita dicitur. Sed & hæc explicatio frigidissima est.

(ce) Hic Vitringa per Phariseum Judæos, per publicanum gentiles representari putat.

(ff) Nemo luculentius evolvit, quid *regnum cœlorum* in parabolis sit, Joanne d' Outrein in expl. parab. Luc. XVI. 16. §. 369. sqq. cui tamen addendus est Johannes Melchioris in fatis Ecclesiæ secundum parabolas selectiores ex Matthæo C. 2. p. 99. sqq. Uno verbo: Est Ecclesia N. T. & œconomia illa

illa divina, qua Deus in gubernandâ illâ utitur. Phrasis est Judæis familiaris, qui vero per *regnum cælorum* subinde & alia intelligunt, uti patet ex allegationibus à Lightfooto ad *March. III. 2.* allatis, quas & repetit Læfferus in expl. parabolæ de patrefamiliâs & operariis in vineâ, ubi p. 121. & sqq. confer.

§. 11.

Dijudicari ex his velim, num dentur quoque parabolæ historicæ. Scilicet inficiamur quæsitum, contradicente licet Glassio, qui *Luc. X. 30. sqq. XVI. 19. sqq.* veras historias referri putat (a). Quod cum ita sit, quæritur porro, quænam ergò parabolæ sint criteria distinctiva, ab historiis illas separantia. Respondemus, hoc tum ex ipsâ narratione maximam partem liquere, tum ex additâ inscriptione *παροιμίας*, & vocis *ὁμοιωσεως*. Pauca exempla dubia videri possint, uti illa Glassii & *Luc. XVI. 1. sqq.* Multum heic se torquet Guil. Saldenus, qui & ipse tamen dubium saltem parabolæ criterium adfert (b). Nomina verò propria & in parabolis, uti in aliis fictionibus, poni posse, non video, quid impediât. Infamis verò impietatis specimen est, miracula Salvatoris in meras parabolâs vertere, quod post Spinosa (c) nuper in Angliâ fecit *Thomas Woolston*, ad numellas eapropter (*the pillory* vocant Angli) meritò publicæ ignominiaë expositus (d).

(a) in *Philol. sacrâ L. II. P. 1. tr. 2. sect. 5. art. 2.*

(b) in *otiiis Theologicis L. 6. exerc. 5. de parabolis Evangelicis §. 7. sqq. p. 699. sqq.*

(c) Certè Spinosa ea, quæ de resurrectione Christi in Evangeliiis exstant, allegoricè saltem interpretanda existimat, ep. 23. & 25. ad Oldenburg. Ita & Deusingius *Joh. V. 28.* de resurrectione mysticâ saltem explicat in *Bibl. Brem. cl. 1. fasc. 6. n. 2. p. 805.* refutatus ab H. C. Engelecke *pec. diff. Rostochii A. 1726.* editâ.

(d) tum in libello, cui titulus *Moderator, tum in variis discursibus upon the miracles of our Saviour in view of the present controversy between Infidels and Apostates* London 1727. 1728. 8. Vide Armandi Cappellæ *Bibliothèque Angloise T. 15. P. 2. p. 519. sqq.* qui optimo jure hâc occasione reprehendit Theologos, Historias quoque Biblicas allegoricè interpretantes, quos & Capite sequente perstringemus. Woolstoni impietatem istam cum aliis graviter reprehendit & refutavit Reverendiss. Episcopus Londinensis, D. Gibson in epistolâ pastorali præstantissimâ ad Ecclesiâs Londinensem & Westmonasteriensem scriptâ, Hannoveræ Germanicè editâ p. 27. sqq.

§. 12.

Jam & ex illis, quæ diximus, argui potest, num statuamus, dari parabolâs propheticas. Scilicet dantur utique quædam, sed genera-

neralia saltem Ecclesiæ fata depingentes. Modus quippe hîc in rebus tenendus est & excessum vitare oportet, quo omnes ferè parabolæ in vaticinia vertuntur, omnesque parabolæ circumstantiæ secundùm filium hoc propheticum explicantur. Sic peccârunt post Cœccejum Abrah. Gulichius (a), Jo. Melchioris (b), Jo. Lomejerus (c), Jo. Huyfinga (d), Henr. Teelmannus (e), Herm. Deusingius (f), Sal. van Til (g), Henr. Grœnewegen (h), Camp. Vitringa (i), Nic. Gûrtlerus (k), Jo. d' Outrein (l), Jo. Creyghtonus (m), Ant. Driefsenius (n) alii, quibus ex nostris ferè Andr. Lud. Kœnigsmannus (o) addi potest, ut Peterfenius (p) jam taceamus. Contrariam inter Reformatos viam iniere Saldenus (q) & Marckius (r). Ex nostris laudandi hîc sunt Henr. Scharbau (s) & Frid. Simon Lœflerus (t). Res ex ipsâ parabolæ inspectione patet. Sensus quippe propheticus non inferendus sed extrahendus est. Et opus est, sponte ut fluant omnia, rebusque violentia absit.

- (a) in Theologiâ Propheticâ, de quâ vide introd. in hist. Theol. lit. P. 1. p. 103.
- (b) in fati Ecclesiæ secundùm parabolæ selectiores ex Matthæo & in enucleatione parabolæ ex quatuor Evangelistis. Exstant in operibus, quæ Herbornæ A. 1693. 4. edidit God. Jungfius.
- (c) Vide diss. de rectâ Theologicâ typicâ conformatione p. 24.
- (d) in commentariis Belgicis in Matthæum datis & Hagæ Comitum atque Lugduni Bat. editis.
- (e) Vide diss. de rectâ Theol. typicâ conformatione p. 24.
- (f) Vide eandem ibidem.
- (g) in commentario Belgico in Matthæum, qui primùm Amstelodami, postea auctior Dordraci prodit.
- (h) Hic edidit *den mond der opperste wysheyd geopend in de verborgentheden van ouds af verzwegen ofte een uytlegginge van de vornaamste godlycke Geheymnissen voorkommende in de XIII. XX. XXII. XXIV. en XXVste Capitelen Matthæi.* Amsterdam 1686. 4.
- (i) Hujus exstat *Verklaring van de Evangelische parabolën cum notis Jo. d' Outrein.* Versio Germanica prodit Francofurti A. 1717. 4.
- (k) Hujus explicatio vocum typico-Propheticarum & systema Theologiæ Prophetiæ hic conferenda sunt.
- (l) Hic parabolæ Luc. XV. 11. sqq. XVI. 1. sqq. Matth. XI. 16. sqq. Luc. XIII. 6. sqq. Marc. IV. 26. sqq. Belgico idiomate explicavit. Editio secunda, ubi explicationem parabolæ de filio perduto contra Jo. Creyghtonum defendit, prodit Amst. 1699. 4. Habetur & hujus libri editio Germanica.
- (m) Hic edidit *naader onderzoek van de parabel van den verlooren Soon door een Liefhebber der Waarheyd.* Franeker 1699. 4.

- (n) Vide hujus diatriben supra p. 19. citatam.
 (o) in diss. de parabolis Christi propheticis, Kilonii A. 1708. editâ.
 (p) Vide das Geheimnis der Widerbringung aller Dinge T. 1. P. 2. n. 63. f. 53. sqq. ubi parabolâs istas septem Matth. XIII. de septem N. T. periodis ad analogiam septem Ecclesiarum Apocalyptricarum explicat.
 (q) in oris Theologicis L. 4. exerc. 5. de parabolis Evangelicis §. 6. p. 698. 699.
 (r) in sylloge diss. ad selectos textus N. T. exerc. 4. §. 20. sqq. p. 149. sqq. ubi Cocceum maximè, qui ad Matth. XIII. septem istas parabolâs septem N. T. periodos representare statuit, refellit & argumenta luculenta contra sensum harum parabolârum propheticum profert.
 (s) in Parergis phil. theol. P. 2. diss. 2. quæ agit de excessibus interpretationum propheticarum in explicandis parabolis. Hic vero maximè Jo. d'Outrein argumenta §. 9. p. 55. sqq. refellit, quæ in præambulo ad explicationem parabolârum de filio perduto & dispensatore iniquo proposuerat.
 (t) in expl. parabolâ de patrefamiliâ & operariis in vineâ p. 156. sqq.

§. 13.

Scilicet ponendâ sunt regulæ (a), ad quas explicationes parabolârum exigere debet Interpres sapiens. Hæ vel generales vel speciales sunt. Generales: ad antecedentia & consequentia hîc respiciendum, eumque sensum eligendum, qui minimas difficultates patitur & suâ sponte, consideratis omnibus, in animum labitur. Speciales: in parabolis non ad omnes circumstantias sed ad id saltem, quod principale est, ad scopum nempe parabolâ attendendum eaque in explicatione haud vexanda, quæ ad decôrandam saltem ornandamque parabolam pertinent scopumque non feriunt, nullumque alium sensum mysticum fingendum, nisi qui expressè vel saltem satis clarè ex verbis effluat. Patet hinc, quî Theologia parabolica argumentativa sit, quî secus (b). Certè sensus mysticus (c) hîc nimis amplificandus haud est, ne quidlibet ex quolibet eruatur, quod nefas (d).

(a) Conferri hic merentur Glassius in Philol. sacrâ L. II. P. 1. tr. 2. sect. 5. art. 4. Dannhavverus in hermenevticâ sacrâ p. 453. sqq. Gomarus ad Matth. XXII. Operum T. I. f. 81. & Saldenus l. c. §. 5. p. 697. 698. itemque Læstherus l. c. p. 156. sqq. Alia hîc dant Teelmannus l. c. p. 11. sqq. qui th. 7. urget, omnium verborum in unaquaque parabolâ rationem habendam & adaptationem ad sensum spiritualem *ἀρεθῶς* & enixè quarendam esse, Melchioris in fatis Ecclesiæ secundum parabolâs C. 1. d'Outrein & Vitringa in libris citatis, qui tamen posterior in methodo homileticâ C. 3. §. 13. p. 64. 65. hîc parcius est.

(b)

- (b) Vide Glasium in Phil. sacrâ L. 2. P. 1. tr. 2. sect. 1. art. 3. can. 5. sect. 5. art. 4. can. 6. Saldenum l. c. p. 698. Teelmannum l. c. p. 22. & Pfeifferum in thes. herm. C. 3. can. 11. p. 170. maximè verò Calovium in Systemate loc. Theol. T. 1. p. 669. sqq. ubi contra Pontificios & Socinianos docet, Theologiam quoque parabolicam suo modo argumentativam esse.
- (c) Sensus mysticus parabolæ declarat, quid per parabolam significetur, adeoque *ἐπιδοσεως* sensus literalis est, licet in relatione ad *παραβολήν* mysticus dici possit, rectè observante Glasio in Phil. sacrâ L. 2. P. 2. tr. 1. sect. 1. can. 3. n. 1.
- (d) Exempla ex Patribus, parabolæ sic subinde interpretantibus collegit Danjel Whitby in diss. de S. Scripturarum interpretatione secundum Patrum Commentarios p. 196. sqq. 199. sqq. Qui plena hic pocula anhelaverit, adeat Commentatores Pontificios in Evangelia, qui allegoricas illas parabolæ interpretationes & ex Patribus recentent & adoptant ipsi & augent.

CAPUT SECUNDUM

DE

RECTA THEOLOGICÆ ALLEGORICÆ CONFORMATIONE.

§. 1.

Aλληγορία *diversiloquium est*, ubi aliud dicitur, aliud intenditur (a). Estque vel *verborum*, vel *rerum*. Illa est troporum, maximè metaphoræ continuatio (b). Hæc rei alicujus mysticæ per aliam in Scripturis sacris narratam eamque haud fictam representatio (c). Patet hinc, quæ differat illa à metaphorâ, à simili, à comparatione (d), hæc à typo (e), ab allusione (f), ab accommodatione (g).

- (a) Descendit enim ab *ἄλλο* & *ἀγορεύειν* vel *ἐγώφησεν* estque aliud dicere eo, quod dicitur. Vide de etymologiâ vocis Jo. Marckium in syll. diss. ad sel. textus N. T. exerc. 25. ad Gal. IV. 22. sqq. §. 9. 10. p. 798. sqq.
- (b) Ita definiunt illam Rhetores. Vide G. J. Vossii instit. Orat. L. IV. C. 11. §. 3. Exempla ejusmodi allegoriarum sacrarum conglomeravit Glasius in Phil. sacrâ L. 5. tract. 1. C. 20.
- (c) Hæc Glasii definitio est, quam exemplis ex Luc. XVII. 31. 32. Rom. X. 18. 1. Cor. V. 7. 8. 2. Cor. III. 7. 13. 14. Gal. IV. 22. sqq. Eph. V. 31. 32. p. 19-

- probatum in Philol. sacrâ L. II. P. 1. tr. 2. sect. 3. art. 1. 2. Ita quaeritur, num Matth. XII. 38. sqq. insinuetur, Jonam esse typum Christi, vel num nuda hæc sit comparatio, quam hic instituit Christus. Vide heic in utramque partem disputantes unum anonymum, alterum H. Heisenium in Musæo Brem. Vol. 1. P. 3. n. 2. p. 391. sqq. & P. 4. n. 1. p. 557. sqq.
- (d) Confer hic Flacium in clavi Scr. S. P. 1. col. 340. sqq.
- (e) Typus quippe est *figura*, ex instituto divino rem futuram *præsignificans*. Allegoria saltem repræsentandæ & per hanc repræsentationem explicandæ rei ergò adhibetur. Conferri hic meretur idem Flacius in clavi Script. sacræ col. 76. editionis Musæanæ.
- (f) Allusio est ejusmodi dictio sive simplex, sive figurata, generalis sive specialis, quâ vel propositione generali adhibita ad speciale quid, quod tam clarè efferre nolumus, vel propositione metaphoricâ ad aliud quoddam factum vel ad carimoniam aut consuetudinem quandam aut aliud quid digitus intenditur. Conferri possunt Flacius idem in l. c. col. 295. 296. & Glaslius P. 1. l. c. L. 5. tr. 1. C. 20. p. 494. sqq.
- (g) Accommodatio est allusio verbalis, qua verba saltem, de aliâ re alibi proposita, nullâ typi vel allegoriæ à Spiritu S. intentæ ratione adhibita ad præsens negotium accommodantur & applicantur. Heic quaeritur, num in sacris tales inveniantur accommodationes? Ita omninò res sese habet. Vide e. g. Rom. X. 6. sqq. 2. Cor. VIII. 14. 15. IX. 9. Diximus hanc in rem quædam in diff. de rectâ Theologiæ typicæ conformatione p. 11. 12. & de rectâ conformatione Theol. propheticæ p. 18. 22. Adde jam Marckii exerc. text. 20. §. 1. 13. p. 168. 182. comment. in Pentat. p. 701. & syllogen diff. ad sel. textus N. T. exerc. 4. §. 7. p. 119. 120. itemque Königium in vindiciis p. 181. Alii per accommodationem intelligunt porismata & applicationes practicas sensus literalis. Ita Waltherus in Harmoniâ Biblicâ p. 499.

§. 2.

De allegoriis verbalibus, quæ in sacris literis continentur, non est, quòd jam simus solliciti. Altior de allegoriis realibus disquisitio est, quæ species sensus Scripturæ sacræ mystici sunt, qui rectè triplex dicitur *typicus*, *parabolicus* & *allegoricus* (a). De sensu typico & parabolico in superioribus diximus. Allegoricus historiam vel personam vel legem & institutum V. T. transfert vel ad spirituale quid in V. vel N. T. (b) aut ad vitam æternam (c), vel morale quoddam porisma (d) inde extrahit. Ex quo jam patet, sensum *anagogicum* & *tropologicum* species *allegorici* esse. Nec tamen inde sequitur, unius effati Biblici varios sensus *immediatos* esse (e), cum sensus uniuscujusque mystici fundamentum sit sensus literalis, qui verò sensu mystico subinde (neque enim

enim omnes sensus literales mysticum secum vehunt (f), fecundus est, imò infinitos sensus porismaticos (g) ex ipso fluentes complectitur, qui verò omnes sunt *mediati* (h).

- (a) Omnes tamen & hi sensus tum literales evadunt, quando in libris N. T. expressè determinantur, etsi in relatione ad sensum literalem V. T. vel parabolæ vel historiae vel typi sint mystici. Vide supra p. 23.
- (b) Ita historia duarum Abrahami uxorum Gen. XVI. & XXI. transfertur ad duo testamenta, vetus & novum eorundemque proprietates representandas, Gal. IV. 22. sqq. ita historia de facie Moïsi splendente deque velamine faciei ejus imposito Ex. XXXIV. 29. sqq. transfertur ad gloriam V. T. & Judæorum in intelligendis scripturis V. T. cæcitatem significandam 2. Cor. III. 7. 13. 14. ita Pl. XIX. 1. sqq. allegoria ab operibus creationis & sole petita transfertur ad Evangelium ejusque prædicationem per totum mundum faciendam Rom. X. 18. ita institutio conjugii Gen. II. 24. transfertur ad spiritualem Christi cum Ecclesiâ unionem representandam Hof. II. 19. Eph. V. 31. 32.
- (c) Ejusmodi ἀναγωγῆν invenire est in illis dictis, queis terra Canaan, Hierosolyma terrestris & Sabbatum Judaicum transferuntur ad patriam cœlestem vitamque & requiem æternam significandam. Vide Hebr. IV. 3. sqq. XII. 22. sqq. Apoc. XXI. XXXII. Et hic sensus anagogicus strictè sic dictus est. Aliàs & ἀναγωγῆν sensu latiori idem est ac ἀλληγορία. Vide Flacii Clavem Scr. S. P. I. col. 313.
- (d) Sic ex historia uxoris Lothi Sodomâ egredientis & retrospectantis Gen. XIX. 17. 26. morale porisma extrahitur Luc. XVII. 32. ne ex spirituali Sodomâ hujus mundi (atqui verò & heic latet sensus allegoricus primi ordinis) egressi retrospectamus & novo illius amore capiamur, sic lex divina de azymis in die Paschatis comedendis Ex. XII. 15. 17. transfertur à Paulo 1. Cor. V. 7. 8. ad fermentum spirituale peccatorum everrendum & vitam in sincerâ atque nullo peccati fermento infectâ animorum nostrorum renovatione agendam, ubi tamen iterum sensus allegoricus primi ordinis includitur.
- (e) Ita sunt ex Judæis, ex Patribus, Pontificiis, ex Reformatis, ex Fanaticis, qui statuunt. Confer Glaslii Philol. sacram L. 2. P. I. tr. I. sect. 2. Novissimè ex Reformatis exempla nova ad probationem hujus Θεσεως attulere Vitringa & Deusingius, ille quidem in præfatione ad H. Teilmanni comment. in Luc. XVI. hic verò in præfatione ad Mosen Evangelizantem, statim sub initium. Non vacat jam, vindicias unius saltem Scripturæ S. sensus literalis dare. Paucis saltem hæc dicimus, vocem unam pro duabus positam & sensus subordinatos vel coordinatos varios Scripturæ sacræ sensus *immediatos* haud gignere, sed &, multum in hac controversiâ esse λογομαχίας, facile dispellendum, si res explicetur. Multos autem unius dicti Biblici subinde dari sensus mysticos, à Spiritu S. intentos haud facile quis negaverit. Conferri hic possunt, quæ ex Patribus, Melanchthone, Pagnino, Hyperio de vario Scr. S. sensu ponit Flacius in clave Script. S. P. I. col. 66. sqq.

155. fqq. Ex nostris duplicem Scr. S. sensum eamque immediatum in der Antwort contra Stolzium defendere sustinuit Ill. Brenneyfen P. 1. §. 31. 32. p. 52. fqq. Ex Pontificiis velim hic conferri libellum nuperrimè Parisiis contra Abb. Affeldium editum : *traité du sens literal & du sens mystique des saintes Ecritures selon la doctrine des Pères.*

- (f) Nota benè, tum saltem sensum mysticum statuendum, cum scriptura sanctior illum vel disertè ponit, vel analogia illius illum exerto velut digito certius commonstrat. Itaque peccaverit interpres, qui conjecturis suis hic nimium tribuerit & luxurianti heic ingenio frena laxaverit.
- (g) Ita ex uno eodemque textu porisinata dogmatica, elenctica, pædævtica, epanorthotica, paracletica extrahi subinde possunt, quæ omnia in textu latent, & per consequentias inde deducuntur, eandem cum ipso textu auctoritatem divinam habentes.
- (h) Intercessit hanc in rem nostris temporibus contentio inter Jos. Schvarzium & Henr. Muhlum, Superintendentes Holsatiæ Regiæ & Ducalis Generales, ubi ille quidem hujus *apodixin* adortus est in den *Cbiliafischen Vorspielen* p. 74. fqq. Sed addi velim J. M. Krafftii historischen Bericht von den Holssteinischen Kirchen - Streitigkeiten p. 39. fqq.

§. 3.

Familiaire verò fuit genus dicendi allegoricum populis Orientalibus, ut mirum non sit, illud in scripturis sacris etiam frequentari. Pertinet huc Ægyptiorum aliorumque veterum Theologia symbolica & hieroglyphica (a), Poëtarum Græcorum (b), Philosophorum itidem, maximè Pythagoricorum (c) & Platonis (d) methodus, philosophiam per allegorias tradendi, Philonis & Essenorum idem studium, res divinas & naturales infinitis allegoriis involvendi atque ita etiam ipsam Scripturam sanctiorem explicandi (e), Patrum (f), Origenis maximè (g), imò & hæreticorum quorundam veterum, maximè Gnosticorum in allegoriis Biblicis fingendis luxuria, quos deinceps secuti sunt Scholastici (h) & Pontificii (i), à quibus nimium illud allegoriæ studium ad illos ex Reformatis, qui Cocceji maximè & Placæi partes sequuntur, dimanavit (k), Mysticis deinceps & Fanaticis quoque allegoricâ Scripturæ S. explicatione ad incrustanda dogmata sua perperam abutentibus (l). Maximè verò in exegefi Scripturæ divinius allegoricâ modum excessere Judæi, quorum insanum heic studium non potest non fastidium sapientibus creare (m).

- (a) Autores huc spectantes allegavit cel. Fabricius in *Bibl. Græcâ L. 1. C. 13.* Adde tamen Huetium in *demonstr. Evang. prop. 9. §. 9. & de orig. fabul.*

- bul. Roman. p. 9. fqq. Spencerum de legibus Hebræorum ritualibus L. 1. C. 11. p. 157. 158. Wichum in Ægyptiacis L. 2. C. 4. §. 19. fqq. p. 87. fqq. & Corn. Adami in exercitationibus exegeticis p. 148. fqq. itemque Basnagium in hist. des Juifs T. 3. Ch. 17. 18. 19.
- (b) ex quibus eminent hinc Homerus, Hesiodus, Æsopus, aliique mythologiarum & fabularum scriptores, de quibus idem Fabricius l. c. L. 2. videndus est. Conferri itidem possunt Basnagius in histoire des Juifs L. 3. Ch. 20. §. 2. fqq. Jac. Thomasi programmata de occultatione scientiarum & occultis poeticarum fabularum sensibus in dissertationibus 63. junctim editis sub finem, itemque præfatio de fabulis Poëtarum ad historiam sacram detortis, quæ exstat in præfationibus, num. 71. p. 533. fqq. ubi Kircherum hinc, Bouchartum, Vossium aliosque refutat, quibus ex recentioribus maximè Huetius in demonstratione Evangelicâ accessit.
- (c) Confer cel. Fabricium l. c. L. 2. C. 12. §. 5. & adde Basnagium l. c. §. 8. fqq.
- (d) Norat hoc cel. Buddeus in diss. de allegoriis Origenis §. 8. 12. 13. 14. Adde Basnagium l. c. §. 18. fqq.
- (e) Confer saltem Philonis libros de allegoriis legis & de officio mundi, eaque, quæ inde extrahit cl. Buddeus l. c. §. 21. 24. Ante Philonem studium allegoriæ sacræ sectatum fuisse Aristobulum & cum Philone Therapeutas monet Huetius in demonstr. Evang. Prop. 9. §. 8.
- (f) Ita Barnabas, Hermas, Irenæus, Clemens Alex. quàm maximè huic studio fuere dediti. Ita & alii Parres, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Hilarius, Basilius, Chryostomus, Gregorii Naz. Nyss. & Magnus, Theophylactus, alii quàm plurimi. Specimina dat Danj. Whitby in diss. de S. Scripturarum interpretatione secundum Patrum commentarios Londini 1714. 8. editâ. Adde & Glassium in Philol. sacrâ L. 2. P. 1. tr. 2. sect. 3. art. 5. & Basnagium l. c. Ch. 22. Defendit heic Patres Remigius Ceillier, Monachus Benedictinus in libro: Apologie de la Morale des Pères de l'Église Chap. 4. p. 103. fqq. contra Jo. Barbeyracium, qui verò respondit dans le traité de la Morale des Pères de l'Église Ch. 7. p. 94. fqq.
- (g) De allegoriis Origenis confer Huetii Origeniana L. 2. C. 2. quæst. 13. §. 4. L. 3. C. 2. sect. 1. & dissertationem, quam Wittebergæ A. 1689. edidit cel. Buddeus, & deinceps parergis historico-theologicis p. 139. fqq. inseruit. Adde Basnagium l. c. Ch. 22. §. 16. fqq.
- (h) Referendus hinc maximè est Hugo de S. Victore de allegoriis V. & N. T. ast & alii, quos citavimus in diss. de rectâ Theol. typ. conf. p. 4. queis adjungimus jam Jacobum Brocardum, qui in mysticâ & propheticâ Geneseos interpretatione heic Hispanicum bellum, Philippum II. Hispaniæ Regem, Principem Auriacum, Antuerpiam &c. invenisse sibi visus est.
- (i) Inter hos eminet Lyra, cui infiniti alii adjungi possunt. Vide Glassium in Phil. sacrâ L. 2. P. 1. tr. 2. sect. 3. art. 6.
- (k) Specimina ejusmodi interpretationum allegoricarum Scripturæ sacræ, nullâ prorsus probabilitatis luce radiantium & ineptarum sanè quàm plurima dedit Pet. de Joncourt in entretiens sur les différentes methodes d'expliquer l'Écrit-

Ecriture entr. 2. 3. 4. & in Nouveaux Entretiens entr. 1. p. 126. sqq. Sumta sunt illa ex Coccejo & Placæo, nec possunt nisi cum fastidio legi, ita quoque subinde comparata, ut approbare illa omnia haud sustinuerint, qui Joncourtium refutavere, S. van Til & J. d' Outrein, Viri ex Coccejanis præcipui.

- (1) Exemplum nobis dare possunt, quæ à Davide Georgio, Weigelio, Scifelio, Gujoniâ aliisque in Scripturam S. scripta fuere. Autor præf. apologet. præmissæ Ant. Bourignonix operibus fœminam hæc in Apocal. præfiguratam fuisse affirmare haud veritus est.
- (m) Non dicam nunc de scriptoribus Cabbalisticis & Talmudicis, qui miserè subinde Scripturam sacram torquent fabulasque cumulant. Sed de eo saltem interpretandi Scripturas sacras genere loquar, quod Judæis מדרש nuncupatur, quâ voce *allegoricam interpretationem* indigitant. Existimant quippe illi ex Judæis, tum antiquioribus, tum recentioribus, quibus allegorica hæc scripturas sacras interpretandi ratio aridet, infinitos ferè earundem sensus esse להורה פנים שבעים כי *legem septuaginta habere facies*, uti Abenesra ait. Vide Glasii Philol. sacram L. 2. P. 1. tr. 1. art. 3. n. 3. Ejusmodi explicationes allegoricas videre est in antiquissimis Judæorum commentariis רבות מדרשים de quibus Wolfius in Bibl. Hebr. P. 2. L. 8. p. 1328. sqq. 1423. sqq. & cel. Buddeus in Isagoge p. 1650. sqq. Quamvis autem in Cabbalisticis Judæorum libris, in Talmude etiam & allegoricis illis Commentariis, quos citavimus, infinitæ inveniantur ineptiæ, isque in allegoricis Script. S. interpretationibus excessus, qui tullim ciere possit, ita ut ex ipsis Judæis sint, qui studium istud allegoricum nimium damnent, tamen negari nequit, esse & in hujusmodi libris præstantissima subinde veteris traditionis exegeticæ, quæ in Ecclesiâ Judaicâ olim, etiam tempore Optimi Servatoris ejusque Apostolorum obtinuit, rudera, ita, ut ex stercore isto aurum subinde nobilissimum erui possit. Non enim dubitamus, istas Vet. Test. oraculorum, quæ ad Messiam & res N. T. in V. T. ex interpretatione mysticâ applicantur, explicationes inde à tempore Moïsi & Prophetarum per traditionem oralem usque ad Christum & sequiora etiam tempora propagatas fuisse. Factum hinc, ut Christus, Apostoli & Evangelistæ iis commodè uterentur, utpote ex concessis sic contra Judæos agentes. Et hætenus quidem dici potest, explicationes istas mysticas καὶ ἀνθρώπων sive *ad hominem* ab illis fuisse propositas, si saltem teneamus, illas à Spiritu S. originem trahere dictaque illa ex intentione divinâ de Messia & rebus N. T. re verâ agere, sive typicè sive per allegoriam huc referenda. Quod nescio num voluerint, qui aliàs allegata illa καὶ ἀνθρώπων saltem facta esse contra Judæos contendunt, in diss. de re-
 cta Theologia typicâ conformatione à nobis allegati p. 11. ubi adde Simonem in histoire critique du N. T. Ch. 22. p. 256. sqq. Bafnagium in histoire des Juifs T. 3. p. 322. 576. Barbeyracium l. c. §. 10. p. 99. & Joncourtium in Entretiens sur les différentes méthodes d'expliquer l' Ecriture p. 58. Hardtum in historia diluvii Noachi, T. 1. in Jobum f. 155. 201. sqq. ubi & locum Gal. IV. 22. sqq. prolixè explicat, & nudam accommodationem heic haberi statuit, quam & aliàs f. 178. 202. 203. urget, & Chandlerum in a de-
 fence

fence of Christianity from the prophecies of the Old Testament apud Capellam in Bibl. Angl. T. 12. P. 2. p. 474. sqq. Aliàs enim falsas Script. S. V. T. interpretationes in rem suam versuri fuissent Apostoli, falsæque etiam essent demonstrationes inde petita, quod ex Cunæo de Rep. Hebr. L. 3. C. 8. egregiè monnit Vitringa Observ. sacr. L. 3. C. 19. §. 8. qui & L. 1. diss. 2. C. 1. §. 5. 6. hic imprimis conferendus est. Sed de Judæorum interpretationibus allegoricis vide Schikhardi nostri Bechinat happeruschim disp. 6. & 7. Hottingeri Thesaurum philologicum L. 1. C. 2. sect. 7. p. 233. sqq. Huetium in demonstr. evang. prop. 9. §. 8. J. F. Reimannum in der Einleitung in die Historie der Jüdischen Theologie p. 143. sqq. aliosque infinitos auctores, quibus adjungi potest A. J. von der Hardt commentatio de Medrasch, symbolica veterum Judæorum commentandi ratione, Helmstadii ipso hoc anno edita. De traditione verò illà orali exegetica conferri potest nostra de traditionum non scriptarum speciebus, valore, certitudine, autoritate, momento & pondere dissertatio art. 2. p. 5. 6. Pet. Allixius in judicio Ecclesiæ Christianæ contra Unitarios, Spenerus von der ewigen Gottheit Christi C. 1. §. 23. p. 21. & cel. Wolfius in Biblioth. Hebr. P. 2. p. 1197. sqq. qui & magnam Theologorum consentientium phalangem hic adducit.

§. 4.

Allegoricum Scripturæ sanctioris sensum, qui in ipsis sacris literis determinatur, à Spiritu S. intentum esse, nemo facile negaverit. Ast, num ad analogiam illius omnes historiæ, ritus, vaticinia V. T. allegoricè quoque explicari possint & debeant, altior quaestio est. Nos cautè hic procedendum putamus. Ubi analogia manifesta est, non repugnamus, ubi verò probabilis saltem est, ad homiletica potius cogitata explicationes istas mysticas censemus referendas (a), ubi longius petita illa, non putamus, ingeniis luxuriantibus hanc in rem frena esse laxanda. Sunt regulæ, quas hanc in rem Viri docti ponunt (b).

(a) Conferri hic potest Gerhardus de interpretatione Scripturæ sacræ C. 8.

(b) Vide Flacium in Clavi Scripturæ P. 1. col. 79. seqq. ubi regulæ Hyperii hanc in rem exhibentur, & Glassium in Philol. sacræ L. 2. P. 1. tr. 2. sect. 3. art. 3. 4. itemque Deusingium in demonstr. Alleg. hist. V. T. p. 11. cujus regulas approbat Jo. van der Waeyen in diss. anti-Spencerianâ de hirco Azazel §. 43. variorum sacrorum p. 277. & Creyghtonum in de korr Bericht no-pens her Gebruyk en misbruyk van de allegorische Verklaaringen der H. Schriftuur, 3. hooft-deel p. 199. sqq.

§. 5.

Prorsus itaque rejicimus excessum illorum, qui historias Script. S. in allegorias vertunt, vel promiscuè ita interpretandas censent (a),

D 3

qui

qui omnes leges, imò ipsum decalogum allegoricè interpretantur (b), qui & in prophetiis (c), in canticis (d), & in proverbiiis sacris (e), qui in miraculis Biblicis (f) imò & epistolis Apostolicis (g) atque ipso quoque Testamento Christi (h) sic explicandis luxuriant, vel sensum literalem ubique fastidiunt, sub isto cortice meras allegorias venantes. Nec tamen & omnia propriè & κατὰ τὸ πῆλόν (i) intelligenda censemus, cum infinita sint, quæ figuratè in sacris literis intelligi debeant (k).

(a) Ita historiam creationis Mosaicam & lapsus protoplastorum allegoricè explicarunt Philo & Origenes. Peccarunt & hic quoad historiam creationis ex recentioribus Th. Brovve in religione medici P. 1. sect. 33. Thomas Morus in consideratione hexaëmeri & Th. Burnetus in archæologia philosophicâ L. 2. C. 7. sqq. quem anonymus in Mose vindicato C. 7. & Leydekerus in Archæologia sacra parti primæ de Republ. Ebr. adjectâ diff. 5. C. 9. refutavere, ut taceam Whistonum, Cluverum, alios, qui per sex dies creationis sex annos, Athanasio & Augustino unum saltem creationis momentum statuentibus, intellectos volunt, de quibus omnibus conferendus est Zach. Grapius in Theologia recens controversâ continuatâ C. 1. qu. 6. p. 20. sqq. Nec minùs memorandi hic veniunt Josua Placæus in typo creationis, Ger. van der Muelen in prodromo Corporis Theologiæ §. 18. sqq. p. 98. sqq. & C. Vitringa in explicatione allegorico-mystico-prophetica Hexaëmeri explicationi mysticæ miraculorum Christi adjectâ, qui & ipsi in typo hoc, naturalis qui vocatur, explanando allegorias nimis cumulârunt: Ex Pontificiis heic Jac. Brocardum supra p. 27. nominavimus. Ex nostris L. C. Sturmius huc pertinet, cujus Erklärung der Stellen H. Schrift notante Bagero in præf. hic conferenda est. Ita & profecto Sociniani peccant, qui Joh. I. 3. de novâ creatione explicant, ne divinitatem Christi fateri necessum habeant. Jam & atro lapillo hic notandus venit Abarbenel & Balthasar Bekkerus in mundo fascinato L. 2. C. 20. qui historiam lapsus allegoricè explicarunt, ut impia somnia Beverlandi, Helmontii, Reyheri & autoris anonymi du peché originel heic omittamus. Vide eundem Grapium l. c. C. 6. qu. 1. 2. p. 146. sqq. Ita sanè & errant, qui omnes historias V. T. typicas esse existimant, quod miror, statuisse & Poiretum, qui in œcon. div. T. 4. Ch. 17. §. 2. p. 422. ita: *toutes les choses passées sont typiques des futures, Adam, Eve, Cain, Abel, Enoch, Noë, Abraham, Isaac, Jacob, Moïse, les Israélites, David, Salomon & les autres & tous leurs gestes, bons & mauvais sont typiques & figurent les choses des derniers tems, qui en sont l'accomplissement.* Ita & sine dubio modum excedunt, quicumque in historiis V. T. typicè, propheticè & allegoricè explicandis Cocceji principia sequuntur, etli historias V. T. typicas subinde esse haud inficiemur. Confer hic, quæ scripsimus de rectâ Theologiæ propheticæ conformatione p. 36. Limites hic migravere ex recentioribus maxime H. Deusingius & Ant. Drieffsenius, ille quidem in demonstracione allegoriæ historica V. & N. T. ubi & ipsa

ipsa Apostolorum facta allegoricè interpretatur p. 181. sqq. in Mose Evangelizante Trajecti ad Rhenum A. 1719. edito, itemque in allegoriâ historiarum Evangelicarum propheticâ, Emdæ 1710. 4. in pressâ, hic vero in diatribæ de principiis & legibus Theologiæ emblematicæ, allegoricæ, typicæ & propheticæ p. 89. sqq. Mireris sanè, Coccejanos ubique in historiis V. & N. T. septem istas, quas statuunt, Ecclesiæ N. T. periodos invenire, quas & in septem Diaconis Ecclesiæ Hierosolymitanæ Act. VI. 5. depictas vidit P. v. S. in Bibl. Brem. Cl. 3. fasc. 3. n. 6. p. 519. sqq. Quæ de Melchisedech, Rege Sarem Hebr. VII. 2. 3. dicuntur, quod sit *ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος*, improprie & allegoricè interpretantur, qui per Melchisedechum vel Christum, ut Cunæus, Galliardus & d' Outrein, vel Spiritum S. uti Hierax Ægyptius, vel magnam quandam virtutem, ut Melchisedeciani, vel Angelum, ut Origenes & Didymus, vel Henochum, ut Hulsius, quem in Melchisedech non Henochus refellit d' Outrein, vel Chamum, ut Juriaus à Marckio exerc. 2. scriptur. refutatus, vel Semum, uti Judæi & ex nostris maximè Lutherus, vel unum saltem è Chami posteris, uti Langius, vel Japherum, vel Noachum, ut alii, intelligunt. Peculiaris quippe homo fuit ille, creatus immediatè, nec mortuus, sed in cœlum receptus, uti in notis Germanicis ad l. c. ostendimus. Succedat jam, qui in historiis sacris allegoricè interpretandis præcipuam sibi famam conciliavit, Hermannus von der Hardt, Criticus Helmstädiensis doctissimus. Constat, quanam mysteria in diluvio quæsierit Jac. Bœhmus in mysterio magno C. 32. Constat &, qui diluvii universalitatem negârint Isaac, Peyrierius & Voslius, Clericus, Stillingfleetus, qui & novam diluvii rationem explicârunt Th. Burnetus, quos refutat Marckius in exerc. exeget. 2. ad 50. selecta loca V. & N. T. p. 11. sqq. Noster, qui supponit, historiam diluvii Noachici literaliter explicatam insuperabiles difficultates alere, illud putat esse ænigmaticum nihilque significare aliud, quàm bellum Scythicum secundum ex Ponto Palæstinæ illatum, arcamque interpretatur urbem Atabyrium à Noacho munitam, & Ararat mortem Tabor, in ænigm. prisca orbis f. 243. & T. 1. in Jobum f. 160. sqq. quam sententiam refellendam sibi sumit Jo. Henr. à Seelen in diss. theol. hypothefin exegeticam de diluvio ænigmatico examinante Rostochii A. 1725. editâ. Ita per Cherubos Cainitas intelligit ille, observante Deylingio obs. sacr. P. 1. obs. 6. §. 2. p. 27. Grotio & Bekkero per eosdem & flammeum gladium unum idemque intelligentibus. Chami delictum idem per incestum cum matre vel novercâ, ex quo prognatus Canaan exclusus fuerit ab hæreditate, exponit in Ephem. Philol. disc. 2. à Casp. Calværio in gloriâ Mosis diss. 7. de Noe retecto & Jo. Marckio in exerc. Scriptur. 2. heic refutatus. Gen. XI. 1. sqq. putat describi historiam regni Babylonici per Cyrum everfi, confusionemque linguæ existimat esse mutationem imperii, quam per dissensionem & discordiam olim interpretatus fuerat. Vide Ephemer. disc. 3. p. 62. & T. 1. in Jobum f. 74. sqq. Quæ de confusione linguarum hic ait Hardtius, refutata vide à Calværio l. c. diss. 5. & Deylingio obs. sacr. P. 3. obs. 4. etsi eandem per dissensiones etiam interpretentur Clericus ad h. l. & Vitringa observ. sacr. l. 1. diss. 4. p. 98. sqq. queis Jo. Marckius exerc. 1. in fascic. diss. ad sel. textus V. T. opposuit. Adde Jo. Buxtorffii F. diss. 2. de linguæ Hæbræ confusione

fione & plurium linguarum origine. De vulpibus Simfonæis Jud. XV. mira est Interpretum & curiosa disputatio. Constat, observatorem Halensem T. 3. obl. 14. p. 383. eos in manipulos stramineos transformasse, quæ eadem est sententia cel. Hardtii in libello Gallico: *Renards de Samson*, Helmstadii A. 1706. 1707. edito, itemque Rabbini illius Patavini, quem supra p. 13. jam atro lapillo notavimus. Refutavere hoc *εὐγεννα* Deylingius l. c. P. 1. obl. 14. B. H. Gebhardi in diss. de vulpibus Simfonæis ex Jud. XV. 4. qui & existimat, arte venatoriâ usum hinc Simfonem, J. F. Mayerus in diss. de vulpeculis Simfonis ex Jud. XV. 4. adversus Bibliomastiges, Jo. Joach. Schrøderus, Philologus Marburgensis in diss. de vulpibus Simfonis & Godof. Martini de vulpibus Simfonis in manipulos straminis transmutatis, formæ avitæ nunc iterum restitutus in Miscell. Lips. T. 4. obl. 90. p. 237. sqq. Adde & J. W. Hilligeri diss. de vulp. Simf. itemque Lœscheri Evangel. Zehenden T. 1. L. 5. C. 6. & Marckii falcic. diss. ad sel. textus V. T. exerc. 5. §. 8. p. 196. Sed notandus heic & venit anonymus, qui in Bibl. Brem. Cl. 8. fasc. 5. n. 4. p. 802. sqq. novâ conjecturâ per שוועלין *Schualitas*, terræ Schual incolas intelligendos esse docuit. De maxillâ asinina Jud. XV. 14. sqq. qua Simfon ad cædendos Philistæos usus est & ex quo deinceps in gratiam sitientis fons aquarum profluxit, ita anonymus in den ausserlesenen Anmerkungen über allerhand vichtige Materien und Schrifften, quæ Francofurti & Lipsiæ A. 1704. 1705. prodire, P. 2. obl. 7. p. 135. sqq. sentit, לחי חמור validam militum turbam, & per דמכתש אשר בלחי non dentem maxillæ asininx sed cavitatem in loco, Lechi nuncupato, ex quâ deinceps aqua proruperit, intelligit, quod posterius etiam statuit cel. Hardtius in libello: *machoire d'âne*. Sed contradixere maximè quoad prius heic B. H. Gebhardi in diss. de maxillâ Samfonis, Jo. Sidelmannus in diss. de maxillâ Samfonis à personatâ metamorphosi vindicatâ Hafniæ 1706. Jo. Jac. Seiferheldius in vindiciis loci Jud. XV. 15. de maxillâ asini, Buddeus l. c. p. 912. & Marckius in exerc. scriptur. 12. ut Ortlobii diss. hinc spectantem taceamus. Ita idem cel. Hardtius Magos Marth. II. 1. in Judæos transformavit in Syriâ Græcâ p. 74. sqq. 108. refutatus heic à J. H. von Elfvich in diss. de magis stellâ duce Bethlehemum profectis, hanc nihilominus de Magis Judæis sententiam majori cum specie defendente nuper J. C. Harenbergio in uberioribus cogitatis de Magis Judæis in Museo Brem. Vol. 1. P. 4. n. 2. p. 644. sqq. In historiâ tentationis Christi per pinnaculum templi conclave Gasir idem ille intelligit, in quo magnum Synedrium fuerit congregatum, ubi diabolus ipsum de adsumto Regis nomine tituloque incusaverit volueritque deinde, ut sine morâ descenderet, nepræceps daretur, in Ephem. disc. 1. Confulas hic velim iterum Calværium l. c. diss. 8. & cel. Deylingium observ. sacr. P. 2. obl. 27. §. 17. sqq. Historiam tentationis Christi in visione saltem contrigisse, non verè gestam esse, cum aliis statuit maximè Bekkerus, quem plurimi refutavere Scriptores, recensiti omnes à Wolfio in curis ad Matth. IV. p. 66. Allegoricam verò tentationis Christi explicationem dedit Deusingius in allegoriâ historiarum Evangelicarum prophetica p. 261. sqq. ubi & natales Johannis Baptiste & Jesu Christi, vincula item & mortem Joh.

Joh. Bapt. & transfigurationem Christi in monte allegoricè explicat, quam posteriorem & ita explicatam vide à Drieffenio l. c. p. 128. sqq. Ita & Bekkerus per *δαμονιζομένους* non obsessos à diabolo sed morbis obrepticis & infolitis laborantes intelligit, uti & Sam. Basnagius in exercit. anti-Baron. p. 635. sqq. refutante hanc sententiam Deylingio l. c. P. 2. obs. 28. Sed nimia cumulamur. Jannem & Jambrem, magos Mosi resistentes 2. Tim. III. 8. ait Hardtius ænigmaticè repræsentare historiam duorum primorum magnorum pseudo-Pontificum Jasonis & Menelai, qui Onix III. vero & bono Pontifici pro populi Judaici salute invigilanti restiterint, religionem avitam perverterint atque idololatricam & gentium mores introduxerint, Antiochi Epiphaniis armis uti. Vide ænigmata prisca orbis f. 275. Denique certamen inter Michaelem Archangelum & Satanam putat idem esse certamen inter Serubabelem, gentem & templum Judaicum restaurare conantem, & principes Persicos, Syria præfectos, restaurationem hanc impediētes, corpusque Mosi hic designare Rempubicam Judaicam, ibidem f. 275. & 484. Sed hæc quidem specimina Hardtiana jam sufficiant. Quæ ipsa dum hæc referimus, non possumus non denuo Balth. Bekkeri meminisse, qui, ut hypotheli inserviret, ea, quæ Deus aut immediatè aut per causas naturales operatus esse in sacris literis dicitur, in iisdem Angelis tribui putat, unde per angelos vel homines vel alias creaturas, quarum operâ Deus usus fuit, uti tonitrua, fulgura, nubes & per diabolos homines prava, cupiditates, morbos intelligit. Autores, qui Virum refutavere, dedit Grapius in Theologiâ recens controversâ continuatâ Quæst. 9. p. 80. sqq. Unum est, quod hic addimus. Quæritur inter interpretes de cantu galli, tempore abnegationis Petrinæ, qui si propriè intelligatur, difficultas haud parva eapropter emergit, quod ex scriptis Talmudicis constat, prohibitum fuisse Judæis, gallos gallinaceos Hierosolymis alere. Ad nodum hunc solvendum varia excogitavere interpretes, quorum sententias recensuit in curis ad Matth. XXVI. 34. p. 378. sqq. cl. Wolfius. Conferri potest maximè Hadr. Relandi oratio de galli cantu Hierosolymis audito Roterodami A. 1709. 8. edita, qui varias solutiones proponit, quæ cum Viris doctis haud satisfacerent, ad allegorias confugerunt. Non dicam, fuisse, qui per *קריאת הגבר* vocem Sacerdotis vigilis indigitari censuere, clamore suo eoque repetito Sacerdotes & Levitas ad munia sua in templo obeunda horis matutinis excitantis. Est anonymus, qui per *ἀλέκτορα* Caiphæ ancillam incillam intelligit, cum vox hæc apud Græcos *παῖς κλυ* quoquè significet. Est & alius, qui de gallo æneo hic cogitat, ad tempus designandum forte tum pulso. Ast Jo. Georgii Altmanni præcipuè hic celebratur hypothesis, quâ statuit, per *ἀλέκτορα* buccinam vel buccinatorem vigilem intelligi, qui buccinâ juxta Romanorum morem vigilias distinxerit. Vide Bibl. Brem. cl. 5. fasc. 3. n. 4. p. 451. sqq. Non fert instituti ratio, hæc latius exponere. Qui nôsse voluerit, quid viri docti contra sententiam Altmanni opposuerint, adeat eandem Bibliothecam Cl. 6. fasc. 6. n. 1. ubi J. C. Bielli animadversio de gallicinio Hierosolymis in ædibus Pontificis audito p. 1057. sqq. & n. 2.

ubi anonymi ἀλεκτοροφωνίας Evangelicæ significatio genuina defensa p. 1070. sqq. habetur, adeat & Danj. God. Werneri gallum gallinaceum vigilem Petri monitorem ex veterum auctoritate pristinae formæ restitutum & duabus dissertationibus Jenæ A. 1723. 1724. defensum, adeat denique Joannis Doitsina animadversiones ad loca, quibus cl. Altmannus ἀλέκτορα & ἀλεκτοροφωνα Græcis pro buccinâ & buccinatore usurpata probare voluit, in Musæo Bremensi Vol. 1. P. 3. n. 1. p. 377. sqq. exstantes. Quod restat, præcipuam Relandi conjecturam, quâ p. 18. existimavit, gallum, quem canentem audiverit Petrus, extra Hierosolymas fuisse, tam ferè improbabilem propter distantiam locorum & strepitum in aulâ Caiphæ esse existimamus, ac fabula illa est, quæ in Massechet Tamid C. 3. §. 8. recensetur, ubi R. Elieser, fil. Galai fabulatur, odorem suffitus, qui præparatus fuit in templo Hierosolymitano, tam penetrantem fuisse, ut & Hierichunte perceptus fuerit & capræ, quas pater ipse Elieser habuerit in monte Machvar, inde sternutaverint. Vide Braunii selecta sacra L. 2. C. 6. §. 82. p. 234. ubi locus refertur. Sed quò delabimur, qui brevem heic notam saltem dare volueramus?

(b) Peccavit heic maximè Deusingius, quem hanc in rem jam in diss. de rectâ Theol. Propheticæ conformatione p. 38. notavimus. Peccant & heic, qui in omnibus circumstantiis carimoniarum & cultûs Levitici sacrificiorumque Leviticorum, tabernaculi quoque & templi mysteria quærunt & rationes typicas, quod passim, maximè ab interpretibus Coccejanis fit. Ita & cæl. Cremerus legem forensẽ de servis Ex. XXI. 1. sqq. Lev. XIX. 19. 20. Deut. XV. 12. sqq. mysticè interpretatus est in exercitationum prophetico-typicarum, quæ Amstelædami 1723. 4. prodire, primâ, & legem de Naziræis Num. VI. 1. sqq. in comm. mystico de Naziræis ibidem A. 1727. 4. edito. Confer hic P. Joncourtii entretiens sur les differentes methodes d'expliquer l' Ecriture Entr. 2. p. 167. sqq.

(c) Certè in vaticiniis Biblicis allegoricè interpretandis nimium quoque excessisse interpretes vel sola Apocalypsis documento esse potest, quam à nimis istis allegoriis in notis nostris Germanicis non sine ratione vindicavimus. Sed & in Prophetiarum V. T. explicationibus allegoricis limites ubique migrant Viri docti, quibus hæc allegorica methodus placet. Unde & ad ejusmodi singularia facta subinde prophetias accommodant, ad quæ Prophetas nullâ ratione respexisse in propatulo est. Liceat dare specimina quædam ex Coccejo. Ita ad Es. XI. 8. per aspidem Antichristum intelligit ille, per laestentes Hussum, Lutherum & Calvinum. Ita Es. XIX. depicta videt bella inter filios Constantini M. agitata, hæreses sec. IV. Saracenorum tyrannidem, regna diversa in Occidente constituta, imperium Caroli M. & successorum, dominationem Episcoporum & regnum Papæ, Concilium Tridentinum interruptum, consilium de condendis in Belgio novis Episcopatibus A. 1562. datum, bella civilia Gallicana seculi 16. bellum inter Gallos & Hispanos cœptum A. 1595. finitum A. 1598. conatum Sigismundi inducendorum in Sueciam Jesuitarum, conatum Sabaudi ad occupandam Genevam, conspirationem pulverariam Anglicanam, excommunicationem Reipublicæ Venetæ, literas majestatis Bohemis concessas, Ecclesiam Anglicanam à Mariâ pressam, ab Eli-

sa-

sabethâ liberatam, libertatem religionis ab Henr. IV. Reformatis in Gallia datam, Donavverdam proscriptam, &c. &c. Ef. XXIII. prædici putat reformationem Ecclesiæ, & per Tyrum Romam, per Kittim Hispaniam, per Tarsis Galliam, per Ægyptum Germaniam intelligendam censet, invenit & heic occupationem Rhodi & Belgradi per Turcas bellumque ab his Hungariæ illatum, Franciscum I. Galliæ Regem à Carolo V. captum, captam à Carolo Borbonio Romam, coronationem Caroli V. à Clem. VII. Bononiæ factam, Confessionem Augustanam, fœdus & bellum Smalcaldicum, pacem religiosam, libellum interim, Concilium Tridentinum &c. Ef. XXIV. de victoriis Baravorum & bello tricennali subinde explicat. Ef. XXXIII. applicat ad persecutionem Protestantium in Germaniâ sub Ferdinando II. &c. ut alia quàm plurima taceamus. Ita & Ezech. XXXIX. vallis Gogi Coccejo est vallis Tridentina, arcus Gogi Carolus V. &c. Ibidem Pax Passaviensis & Academiae Heidelbergensis & Pragensis Jesuitis tradendæ præsignificantur. Ita & alibi in Prophetis interpretandis versatur, ita maxime & in Apocalypsi, ubi C. XX. millennium illud mysticum interpretatur de temporibus à Constantino M. usque ad Ludovicum Bavarum Imp. lapsis & thronos illos comm. 4. de cathedris in Concilio Nicæno positis &c. Apoc. XI. 13. vidit Coccejus non saltem bellum tricennale omniaque bella ob religionem prioribus seculis gesta sed etiam in specie unionem inter septem provincias Belgii factam, cadentibus septem Episcopis, Harlemensi, Middelburgensi, Trajectensi, Leovardiensi, Groningensi, Daventriensi, Ruremundensi. Ita & mira est interpretatio Apoc. VI. 16. quam ponit Coccejus. *Imploratio, inquit, montium & petrarum, ut cadant super ipsos, significat implorationem auxilii à Regibus, populis, Rebuspublicis, ut ab illis defendantur aut restituantur.* Ita idem in vaticinio Bileami per Amalekitas Saracenos figuratos fingit. Ita & persecutiones Albigenisium & Waldensium Joel. III. Habac. II. Zach. X. depictas putat. Innumeras ejusmodi explicationes allegoricas ex Coccejo & Coccejanis, queis allegorias Patrum imitantur, adferre possemus, si constitutum heic nobis esset, volumina scribere. Risit hunc Theologorum istorum scripturam S. ita explicantium morem ante hos XX. annos in Belgio non sine periculo remotionis ab officio Pet. Joncourtius, de quo aliàs, invisum Viris non sine omni merito suo nomen, cui velim addi jam Jac. Basnagium in *histoire des Juifs* T. 3. Ch. 22. §. 20. lqq. ubi eam ipsam ob causam Gurtlerum, Sal. van Til & Brightmannum perstringit. Ex nostris, sed aliâ ratione, allegoricas ejusmodi vaticiniorum interpretationes dedit cl. von der Hardt. Pauca rei specimina dabimus. Ita Zach. V. quod caput non à Prophetâ Zachariâ sed à Jaddo, Pontifici Maximo historiam templi Sicheimitici suo tempore exstructi symbolis delineaturò sub nomine Zachariæ conscriptum esse fingit, per volumen expansum intelligit diploma ab Alexandro M. Sanballato datum, quo illi, Samaritidis præfesto, facultas data, ædificandi in monte Grisim templi Hierosolymitano similis, per Ephâ lecticam nuptialem, per orbem plumbi lineam mensuratoriam ad templum illud ædificandum, per mulierem in Ephâ filiam Sanballati Nicafo, Manassis, qui frater Jaddi erat, conjugem, cujus conjugii occasione templum illud Samari-

tanum exstructum fuit, per duas mulieres comm. 9. Sanballatum & Manafsem, per ædificium in terrâ Sinear ipsum templum Samaritanum. Vide T. 1. in Jobum f. 477. sqq. Eadem ratione & sequentia Zachariæ Capita de rebus Maccabæorum explicanda cenfet in enigm. prisçi orbis f. 495. Ita 2. Pet. III. 5. sqq. putat significari saltem Reipublicæ Judaicæ destructionem & V. T. abolitionem, Novo succedente T. 1. in Jobum f. 185. sqq. Ita & varicinium Henochi allegoricè explicat Vir ingeniosus. Scilicet plura ille diluvia fingit, ac vulgo statui videas, omnia tamen allegorica, de bellis interpretanda. Primum Enofchi vel Annaci, quod ipso iudice est bellum Scythicum primum ex Europâ in Asiam, ex Ponto in Palæstinam, quadringentis ante diluvium Noachi annis gestum, secundum Noachicum, quod ipsi est bellum Scythicum secundum ex Ponto in Palæstinam, quibus demùm ait longè post tempora Noachi successisse diluvia Ogygis & Deucalionis, queis à Græcis scriptoribus bella Bœotica in vicinas Græciæ terras, Atticam, Phocidem &c. pingantur. Et primum quidem illud Enofchi sive Annaci, Phrygum Regis, Iconii, quam urbem in sacris *Hanoch* nuncupatam ait à Caino in terrâ Homonodensium, Mofi *Nod*, in Lycaoniâ, ad radices Tauri ædificatam, sedentis putat non saltem Judæis & Græcis celebratum, sed & ipsi Mofi Gen. IV. 23. prædictumque, uti jam diximus, ab Henocho Judæ comm. 14. 15. Vide T. 1. in Jobum f. 153. sqq. & ænigmata prisçi orbis f. 495. Addimus exempli loco, & ea, quæ de extremo iudicio dicuntur Matth. XXIV. & Luc. XXI. de excidio Judaico à multis allegoricè exponi, sed perperam. Vide cl. Wolfii curas p. 349. 351. 749.

(d) Specimina hic excessus iterum dare Coccejus ipse potest. Excerptamus saltem quædam ex iis, quæ in Canticum Canticorum commentatur. Ita Cant. IV. 6. per montem myrrhæ & collem thuris Hispaniam, Galliam & partem Britannicæ designatas vult. Ita Cant. V. 7. 8. Nicolaitas & Patres Concilii Nicæni invenit. Ita Cant. VI. 6. ad migrationem gentium sec. V. & seqq. factam respici, & comm. 3. per Tizsam Orientalem, per Jerusalem Occidentalem Ecclesiam designari putat. Ita eodem capite comm. 7. per reginas Clerum occidentis & per pellices Clerum orientis intellectum vult. Comm. 9. Guelphos, Gibellinos, Waldenses, Bernhardum &c. reperit. comm. 11. Hussitas. Cant. VII. 4. iterum de Bohemis & de Luthero explicat. Mireris, turrin Libani heic Viro sagaci esse fœdus Smalcaldicum, quo mediante & Dux Wirtembergiæ Ulricus A. 1534. à Landgraviâ Hassiæ in terras suas fuerit restitutus. Ibidem comm. 5. Carmel designat Principes Protestantæ & *Rex vincus in canalibus* est Jo. Fridericus, Elector Saxonie à Carolo V. A. 1547. captus. Comm. 6. ad librum Interim & Concilium Tridentinum alludi putat. Sed nolumus cumulare plura, nec aliorum quoque in Canticis sacris explicandis infinitas conglomerare allegorias, queis distillandis iudicium calamum ex Theologis Belgis adhibuit Jo. Marckius, in egregio ad Cantic. Cant. Commentario. Vide diff. de reetâ Theol. prophetica conformatione p. 38.

(e) Ita Prov. IX. 1. septem columnas sapientiæ septem Ecclesiæ periodos designare putant Coccejani. Ita fatuus ille Prov. VII. 7. Coccejo Antichristus est.

(f)

(f) Liceat nobis, cum pace lectoris in hæc notâ esse paulò prolixioribus. Qui miracula Biblica allegoricè exponunt, vel mysticum & propheticum sensum hic quaerunt, vel enervandi illa studio tanguntur. Ad posteriorem classem spectant Deistæ, uti Spinoza, uti Tolandus, uti Massæus, uti Woolstonus, quem supra p. 20. notavimus, aliique hujus furfuris, uti Critici recentiores. Ab his, agedum, faciamus initium. Monemus ante omnia, cel. von der Hardt observare in genere, ingentem esse miraculorum Bibli-
corum numerum, nusquam foris & physicè gestorum sed saltem in visione re-
presentatorum. Vide anigmata prisca orbis f. 280. Gen. XIX. 24. 26. excidium
Sodomæ & uxoris Lothi refertur, pluvîâ igneâ & sulphureâ cælo delapsâ
factum. Negat miraculum Clericus in diss. de Sodomæ finitimarumque ur-
bium subversione & de statuâ salis Comm. in Genesim adjectis, existimans,
fulmen cælo delapsum tractum bitumine plenum incendisse & subvertisse,
ut, absumptâ eâ materiâ, terra subsederit alveumque influentibus illuc aquis
præbuerit, uxorem verò Lothi diutius viro cunctatam seu stupendi incendii
terrore, seu sulphuris vapore subito extinctam diriguisset, statuâ ad instar.
Herm. von der Hardt aliâ ratione miraculum enervat. Postquam enim sta-
tuisset, peccatum Sodomitarum saltem in eo consistisse, quod noluerint,
filias Lothi peregrinis in matrimonium tradi, ait, fulmen cælo delapsum
incendisse Sodomam urbesque contiguas, uxoremque Lothi ad urbem, re-
cularum quarundam suarum ex incendio repetendarum causâ, reditum pa-
rantem eodem & ipsam periisse ipsique ad memoriam rei gestæ monumentum
deinceps publicum vel ab ipso Lotho vel ejus posteris ex bitumine maris So-
domitici ad litus ejusdem positum fuisse. Vide Ephemerides philologicas disc.
4. Sententiam hanc quoad excidium Sodomæ sequitur quoque Whistonus
in an account of the surprizing meteor &c. juxta recensionem, quæ exstat
in Bibl. Angl. T. 6. P. 2. p. 440. 441. & J. H. Müllerus, Mathematicus
Altorfinus in diss. de miraculis §. 15. p. 26. sqq. Ita & J. H. Majus F. in
observ. sacris P. 1. p. 125. sqq. *statuam salis vertit per monumentum excidii.*
Heumannus verò *sulphure bitumineque obrutam & quasi sepultam periisse*
uxorem Lothi vi textûs putat in diss. de fato uxoris Lothi, quæ exstat in
Pœcile T. 2. L. 2. n. 10. p. 256. sqq. sequentibus Danzio, Turckio, Star-
ckio. R. Simon sub nomine Sainjorii allegat Judæum Caraitam, qui putat,
supplendum hic esse Caph, ut sensus sit, *& facta est tanquam statuâ salis.*
Vide Bibliothecæ Critique de Mr de Sainjore T. 4. lettre 43. p. 420. 421.
Sed confer hic Calværii gloriam Mosis diss. 6. Masii exerc. de uxore Lothi
in statuam salis conversâ diss. Theol. T. 2. diss. 1. H. Witlii exerc. 7. de
uxore Loti in Miscell. sacr. T. 2. Maji œcon. judic. div. C. 8. Buddei hist.
ecl. V. T. p. 291. sqq. & Marckii fascic. diss. philol. exeg. ad sel. rextus
V. T. exerc. 2. p. 71. sqq. itemque Bajeri diss. de excidio Sodomæ Halæ A.
1695. sub præsidio C. Cellarii defensionem, atque Jac. Saurini disc. 13. sur
la Genèse, ubi verò judicium vir doctus suspendit, licet ferè in sententiam
Clerici de statuâ salis inclinet. Ex. XIV. transitus Israelitarum miraculosus
per mare rubrum memoratur. Hic Porphyrius ait, Mosen, observatis flu-
xu & refluxu maris, resluente hoc, traduxisse suos, quem refluxum ob ven-
tum

tum septentrionalem solito longiorem fuisse perhibet Clericus in diff. de maris Idumæi traiectione Pentateucho adjectâ. Sed vide A. Kempferi diff. de stupendo Israelitarum sub duce Angelo Creatore per mare rubrum itinere Giesæ 1696. J. G. Bajeri diff. mathematicam ad Ex. XIV. de quæstione, an tempore transitûs Israelitarum per mare rubrum fuerit ordinarius refluxus seu detumescencia, Jenæ A. 1697. habitas, Deylingii obs. sacr. P. 3. obs. 5. & Marckii exercit. exeget. 6. uti & J. H. Mulleri diff. de miraculis §. 12. atque Aug. Calmeti diff. sur le passage de la Mer rouge par les Hebreux, quæ Commentario Gallico in Exodum præfixa est, ut taceamus, quæ Jac. Saurinus in discours XLIX. in Pentat. hanc in rem scripsit. Ita & Ex. XVI. 12. 13. coturnices tantâ copiâ advestæ miraculum sapiunt, quicquid causerur hic Ludolfus, qui locustas intelligit. Vide Marckii Exerc. Bibl. 10. & Buddei hist. eccl. V. T. T. 1. p. 591. sqq. De vultu Moïsis radiante, quod Ex. XXIV. 30. 35. dicitur, cel. Hardtius Ephem. disc. 10. per ruborem ignis ad instar ex devotionis ardore, in fronte, ore ac oculis Moïsis ardentem & reluctantem interpretatur, notatus eapropter à Calverio l. c. diff. 3. & Deylingio l. c. P. 3. obs. 8. Ita & causam hujus nitoris physicam, cutem nempe in facie Moïsis à lumine divino extensam & perpolitam, ut in facie ipsius tanquam in speculo reflexerit, dare sustinuit nuper Cl. Wideburgius in mathesi Biblicâ, specim. 2. qu. 14. p. 44. 45. Columnam ignis & nubis fuisse ignem sacrum, quem populo Israelitico prætulit Aaron, idem cel. Hardtius existimat ibidem disc. 6. refutatus & hic à Calverio l. c. diff. 1. J. J. Cramero in Theol. Israelis P. 2. C. 5. §. 7. sqq. Marckio diff. Bibl. 8. H. Pontano pec. orat. de columnâ ignis & nubis & Chr. Mundenio, Theologo hodie Helmstadiensi pec. comm. de hoc argumento Goslar. A. 1712. 8. editâ atque J. H. Majo in œcon. jud. div. P. 1. C. 8. p. 234. sqq. Hardtii sententiam recentissimè defendit quoque heic famosus Deista, Jo. Tolandus. Hujus enim in Tetradyo prima hæc existat dissertatio, *Hodegus, or the Pillar of cloud and fire, that guided the Israelites in the wilderness, not miraculous, but a thing equally practis'd by other nations and in those places not only usfull, but necessary* London 1720. 8. Historiam de divino illo supplicio rebellibus Core, Dathan & Abiram illato Num. XVI. ita explicat Hardtius, contra seditiosos hosce hanc à Mose latam sententiam, quod vivi essent sepeliendi, id quod & executioni fuerit datum, cui simile sit supplicium alterum in 250. rebellibus aliis complicitibus, qui Moïsi itidem jussu cæsi fuerint & cremati, in ænigm. prisce orbis f. 495. Sed heic quidem post S. Schmidium & G. Moebium conferri possunt Witfius & Marckius, ille in Meletem. Leirens. diff. sel. 1. hic in sylloge diff. ad sel. textus V. T. exerc. 13. Impium Marshami de serpente æneo, à Mose erecto, ut more Ægyptiorum magicâ arte venenum serpentum, quo Judæi percussi erant, exstingeret & morsus sanaret, commentum refutaverunt Natalis Alexander in hist. eccl. V. T. ætate mundi IV. diff. 6. Witfius in Ægyptiacis L. 2. C. 8. §. 3. Basnagius in histoite des Juifs T. 2. L. 3. C. 19. §. 27. Marckius exerc. scriptur. 8. & Deylingius l. c. P. 2. obs. 15. Quæ de asinâ Bileami loquente refert Moses Num. XXII. in visione saltem vel per somnium contigisse Bileamo sunt ex Ju-

Judæis, maximè Maimonides, qui putent, quorum sententiam secutus etiam est Hardtius in libello: *histoire de Bileam A. 1706.* edito. Alii parabolicè hoc interpretandum censent, saltem ut significetur, quid dicere potuisset asina, si sermonis usus ipsi fuisset vel quid facta ejus significaverint. Confer hæc refellentem Marckium in *Comm. in præcipuas quasdam Pentateuchi partes p. 394. sqq.* Relationem Mosaicam de vestibus Israelitarum in deserto non detritis multos allegoricè explicare video, ita, ut nihil aliud dicatur heic, quam vestium copiam Judæis in deserto nunquàm defuisse. Ita H. Peyrerius in *system. præad. L. 4. C. 6. p. 199.* ita Ant. Bynæus de *calceis Hebræorum L. 2. C. 9.* ita Hardtius *eph. disc. 12.* ita Clericus ad h. l. ita cel. Buddens quoque in *hist. eccl. V. T. T. 1. p. 658. sqq.* ita Zeibigius in *diff. de vestimentis Israelitarum in deserto, an per miraculum duraverint aut creverint Lips. 1708. 4.* Sed literam heic premendam esse statuerunt Heideggerus in *exercit. Bibl. diff. 10.* Calvæ. l. c. *diff. 4.* Marckius *exerc. text. 8.* *Biblicâ 14.* & Deyling. l. c. *P. 2. obs. 17.* Adde J. W. Hilligeri *diff. de vestimentis Israelitarum in deserto. Jos. VI. lapsum murorum Hierichuntinorum miraculosum referri videas, quem virtuti clamoris adeoque causæ naturali, cum tribuerent Marinus Merfennus & D. G. Morhofius, refutati fuere à cel. Buddeo in diff. de ruinâ murorum Hierichuntinorum, quæ in pæregis ipsius historico-theologicis extat, §. 15. sqq. & in hist. eccl. V. T. T. 1. p. 816. 817.* Adde J. G. Abichtii *disp. de lapsu murorum Hierichuntinorum miraculoso §. 15. 16. & cel. Wideburgii Mathes. Bibl. spec. 3. qu. 3. p. 4. sqq. itemque J. H. Mülleri diff. de miraculis §. 13. ubi contra Observ. Hal. T. 4. n. 6. disputat, quâ statuitur, murum Hierichuntis eâ, quâ debilior erat, parte arietibus Israelitarum petrum tandem corruisse. Historiam de sole & lunâ ad mandatum Josuæ in cælo stantibus Jos. X. 12. 13. hyperbolicè de insolitis solis refractionibus vel insolito quodam lumine, quod cælum adspectantibus speciem ac vicem solis & lunæ præbuisset, aut aliter quoque explicant Peyrerius in *syft. Theol. L. 4. C. 5. Spinosa in tr. Theol. pol. C. 2. Grotius & Clericus ad h. l. & post Maimonidem Rabbinius ille Patavinus in Recueil des pensées du Comte J. O. sur divers sujets T. 5. p. 86. sqq. caussatus hic, modum hunc loquendi Hebraicum id saltem inferre, tantum hoc Josuæ opus fuisse, ut vix comprehendi potuerit, qui uno saltem die id potuerit peragi. Sed audaciam hanc Scripturam S. sic interpretandi repressere Pet. Beckerus in *pec. disp. ad h. l. Rostochii A. 1710. editâ, Marckius exerc. Scripturariâ 11. Buddens in hist. Eccl. V. T. T. 1. p. 828. sqq. Müllerus l. c. §. 13. Wideburgius l. c. qu. 4. p. 7. sqq. & Abichtius in diff. de statione solis ad Jos. X. 12. 13. 14. ubi & p. 20. sqq. R. Levi ben Gersom refutatur, qui existimavit, neque solem, neque lunam stetitisse, sed tantum tardiori gressu incessisse. Adde quàm maximè Nat. Alexandri diff. de admirabili statione solis imperante Josue, & Aug. Calmeti dissertation sur le commandement, que Josue fit au soleil & à la lune de s'arrêter, quæ comm. in Josuam præfixa est, uti &, quæ hanc in rem effert cl. Wolfius in *Logicâ scientificè pertractatâ p. 695.* Corvos Elia 1. Reg. XVII. Hardtius existimat esse Orebi oppidi incolas in libello: *Corbeaux d'Elie.* Haufit ille hanc sententiam à Judæis ex *בראשית רבא*, qui & aliàs *עורבים****

אַנְגֵּלִים per mercatores, uti Josephus Kimchi & R. Jona, interpretantur. Hardtii sententiam cum Rabbino illo Paravino defendit C. E. Otten in cruce antiquâ Criticorum p. 28. sqq. & in der geretteten Wahrheit und Unschuld seines Prodromi Criticâ S. ubi & disputat, num *Arabum* turmæ voce hæc significentur. Sunt &, qui per אַנְגֵּלִים Angelos intelligant. Vide Bibl. Brem. Cl. 4. fasc. 2. p. 296. 297. Ast confer jam J. F. Mayeri Eliam corvorum convictorem, cel. Gebhardi diss. de corvis Eliæ, Relandi Palæstinam L. 3. p. 913. sqq. & J. H. Schülini diss. de Eliâ corvorum alumno Altdorff A. 1718. editam. Adde cel. Buddeum in hist. eccl. V. T. P. 2. p. 384. 385. II. Reg. VI. 6. ferrum ex naturali causâ natate potuisse putat autor anonymus in essai sur la providence & sur la possibilité physique de la resurrection lettre 13. p. 189. sqq. Sed vide hic post Langii & Marckii dissertationes ad h. l. & Jo. Bœcleri diss. de ferro miraculosè natante Argent. A. 1716. 1722. editam, itemque cel. Wideburgium l. c. specim. 3. qu. 42. Miraculosum umbræ solaris regressum 2. Reg. XX. negavit Spinosa & ex parheliis explicare sustinuit. Sed vide Marckii exercit. scriptur. 15. Pet. Beckeri diss. de miraculo retrocedentis in sciaterio Achasi umbræ solaris, J. A. Schmidii sciatericum Achasi, C. Sahnii diss. de regressu solis tempore Hiskia, Andr. Geret disp. math. de sole tempore Hiskia retrogrado & cel. Wideburgium l. c. qu. 43. itemque B. P. Karlî diatriben de miraculo solis vel umbræ, decem lineis per gradus, quos jam descenderat in sciaterio Achasi, retrogressi, in Bibl. Brem. Cl. 4. fasc. 4. n. 2. Ita & miracula N. T. subinde allegoricè explicari videas. Exemplum esto Act. II. 6. ubi quidam arguunt, ea, quæ Apostoli enunciarint, auditores percepisse, ac si suâ linguâ prolata fuissent, miraculumque adeò in audientibus, non in loquentibus quærunt. Alii per linguas divinas silentium esse intelligendum putant. Vide diss. de rectâ Theol. prophetica conformatione p. 8. At verò salvâ literâ miracula N. T. allegoricè exponunt passim Theologi Reformati, è quibus maxime hic nominandi sunt Camp. Vitringa, cujus existant heilige und erbauliche Betrachtungen über die Wundervercke Jesu Christi cum præf. Henr. Venemæ, Theologi Franequerani, ex idiomate Belgico in Germanicum conversæ & editæ Francof. 1727. 4. Herm. Deusingius in demonstratione allegoria historica V. & N. T. Franequæ A. 1707. 4. cusâ p. 153. sqq. 163. sqq. & in allegoriâ historiarum Evangelicarum prophetica Emdæ 1710. 4. impressâ, ubi p. 408. sqq. duo miracula Evangelica de Jesu discipulis congresso, clauso ostio, absente Thomâ, deque eodem à discipulis per capturam piscium insignem agnito allegoricè explicata habentur, itemque in explicatione mystica historix de muliere hæmorrhoidisâ sanitati restituta & filia Jairi ad vitam revocata commentario mystico in decalogum annexâ, denique & Ant. Driessenius in diatribâ citatâ p. 108. sqq. ubi & p. 112. sqq. miraculum de immisilis in gregem porcorum demoniis allegoricè exponitur. De typicâ ratione veli in templo Salvatore mortuo, miraculosè scissi vide Deylingium l. c. P. 1. obs. 29. Conferri & hic potest G. F. Gudii commentatio de mysticâ miraculorum & fatorum Christi interpretatione contra cel. Lampium, Lipsiæ hoc ipso anno edita, ubi Lampii rationes in Comm. in Job. T. 1. p. 272. exstantes diluit. Contra Woolstonum, supra p. 20. notatum conferri meretur & autor anonymus

mus Anglus in tribus epistolis , quæ titulus : *a vindication of the literal sense of the miracles of Christ*. London 1728. 8.

(g) Vide diss. de rectâ Theologiæ prophetiæ conformatione p. 37. 38.

(h) Ita quippe verba Christi systatica, *hoc est corpus meum*, tropicè de figurâ & signo corporis Christi sumenda censent Reformati, Remonstrantes, Sociniani, Anabaptistæ &c. Nos verò in hoc Christi testamento non figuram quandam boni saltem sed bonum ipsum nobis donatum datumque intelligimus, quemadmodum nullus testator, qui bona sua hæredibus testamento transmittit, heic tropum adhibuisse vel signa saltem istorum bonorum, non ipsa bona legasse censei potest. Non opus est, Jctorum heic sententias cumulare, vel ex Corpore Juris civilis textus adferre. Rei ipsius natura hoc poscit. Allegare tamen ejusmodi textus videas à Gerhardo nostro in loco de sacrâ Cœnâ n. 73. f. 59. Sed vide, quid heic ajat E. R. Brenneysen in der Antvort contra Stolzum P. 2. §. 29. 30. p. 48. sqq. ubi textus quoque contrarios affert & adde Francisc. Manticam de conjecturis ultimarum voluntatum L. 3 tit. 4. §. f. 37. sqq. itemque Simonem de Prætis de interpretatione ultimarum voluntatum L. 2. f. 264. sqq. Imò Thomastus in praxi Logices C. 3. §. 113. 114. p. 201. 202. regulam hanc, *quòd in interpretatione testamentorum & ultimarum voluntatum verba tamdiu in propriâ significatione accipienda sint, donec summâ necessitate cogamur inde desistere*, fundamento prorsus putat destitui, cum in legibus Pandectarum de testamentis tot casus contineantur, in quibus Jcti verba testamentorum figuratè sumant, quot sint, in quibus ea propriè interpretentur. Ita nec putaverim, tanto cum conatu negandum esse, *quòd est in sacris literis nunquam sumi pro significat*. Sufficit enim demonstrasse, *heic sensum hunc exulare*, licet & metaphora semper in ejusmodi exemplis ad prædicatum referri possit. Nec existimaverim quoque, nullos prorsus tropos in verbis testamentariis inveniri, cum in verbis istis systaticis, ubi dicitur, *hoc totum nempe illud complexum, quod vobis porrigo, est corpus meum*, prædicatum hoc non solum corpus innuat, sed unitum quoque cum illo panem, quæ synecdoche est sanè & rhetorica partis, licet præcipuæ & principalis, pro toto, nec metonymia continentis pro contento nobis adversetur, juxta quam panis ratione contenti sui Corpus Christi esse dici potest. Solam metaphoram, quâ Corpus Christi non verum, sed tropicum, solam metonymiam, quâ signatum pro signo hic poneretur, rejicere necessum habemus, qui præsentiam realem Corporis Christi in sacrâ cœnâ credimus. Istam autem synecdochen eapropter *grammaticam* vocavit Lutherus, quia grammaticè *συνεκδοχή* est *comprehensio*. Sic in vocabulo τῆτο *comprehenditur* totum sacramentum. Sic voce *σάμαλ* etiam *comprehenditur* panis cum illo unitus & illius sacramentale *ἄχμα*. Neque enim hic ad istam *συνεκδοχήν grammaticam* cogitavit unquam Lutherus vel nostri, quæ figura syntactica est, ubi probè observatum Gravvero in propugnaculo anti-Paræano qu. 3. §. 1. & Dannhavvero in hodosophiâ phænôm. 10. p. 774. uti egregiè hic: *Ea, quam B. Lutherus in confessione & D. Brentius in Joh. VI. agnoverunt, synecdoche, quâ totum datur, & pars præcipua solum nominatur, non est*

synecdoche tropica, quæ verborum sensum inflectat, sed grammatica, non quidem illa, quam in syntaxi figuratâ proponunt Grammatici, tamen grammatica, quia propriis verbis & concepta & intelligenda. Quando itaque nostri synecdochen rethoricam negant, negant saltem talem, quæ præsentia reali infensa esse possit, & ubi relatio partium mutua saltem figurata sit. Confer, si placet, die historiam der Augsp. Conf. quæ est appendix Form. Conc. ad A. 1529. ubi acta colloquii Marpurgenſis recensentur, f. 105. 106. Gerhardum de S. Cœnâ §. 93. sub finem & Kœnigium in casibus conscientia p. 484. 485. Et ex his quidem facile jam dilui possunt, quæ Joh. Vorstius in diss. sacr. L. 1. C. 6. & post ipsum cl. Vitus heic stylo, ut solet, acrioris in Apologia Synodi Dordracenæ præf. §. 6. 7. & in vindiciis p. 56. sqq. heic opposuere. Quod restat, exemplum gratis fictum illud metonymia testamentaria, ubi lignum pro signato in verbis: *Josephum Imperatorem filii mei habento* poni dicitur, & quod cl. Vitus in vindiciis p. 38. sqq. urget, ad rem præsentem profus non quadrat. Non enim intelligitur hic Josephus corporeus, sed Josephus aureus, isque propriè sic dictus, talis, qualem possedit Testator, non profecto ipsius saltem signum, quo in charra formato vel in cerâ expresso sanè haud contenti fuissent filii, ad proprietatem verborum testamentariorum aliàs provocaturi. Sic sanè clariss. Vir propria heic vineta cædit, cum ad tropum remotiorem, quo Josephus aureus talis dicitur, heic respici haud possit. Jam verò nostri instituti non est, heic latius ostendere, quòd verba institutionis Eucharistia propriè intelligenda sint.

- (i) Notamus saltem *ὡς ἐν παροίῳ*, dari & *ἰσὺν* figuratum, opponitur enim *τὸ ἰσὺν* & subinde *τῆ ἀφολῶ*. Nos verò hic vocem sumimus, prout *figura* opponitur & in controversiâ de S. cœnâ sumi solet.
- (k) Peccant itaque Anthropomorphitæ, qui, quòd membra humana Deo subinde in sacris literis adscribuntur, ea Deo propriè tribuenda censent. Peccant &, qui hyperbolas in Scripturis sacris exstare inficiantur, quod nostris temporibus egere V. E. Lœscherus in Stromat. sect. 1. sive diss. quâ ostenditur, hyperbolas in verbis Dei nullas contineri & Danj. Gerdesius in Vespers Vadensibus sive diatribis de hyperbolis ex Scripturâ sacrâ eliminandis Trajecti ad Rhenum 1727. 4. editis. Peccaret & e. g. si quis, quæ de motu solis & quiete terræ, de montibus transponendis, de casu stellarum &c. in sacris literis dicuntur, propriè intelligenda esse veller. Confer tamen, quæ de veritate systematis mundi Copernicani Cartesiani disputata fuere à Jo. Jac. Zimmermanno in Scripturâ sacrâ Copernicante, Hareneo Geierbrand sive Andream Ehrenbergero de majestate macrocosmi, & in der Vielheit der Welt-Kugeln contra D. Pertschium Jenæ. 1717. 12. L. C. Sturmio in der verständlichen Erklärung etlicher Stellen Heil. Schrift, M. G. Hanschio in der Entdeckung der vvahren Ursache, vvarum aufs der Heil. Schrift nicht könne aufgemacht und entschieden vverden: Ob die Sonne täglich um die Erde lauffe, oder ob die Erde sich täglich um ihre Achse bevege? Franckf. 1715. 8. V. E. L. in inquisitione novâ in sententiam Copernicanam de motu terræ & quiete solis, quæ exstat in analectis Lipsiæ A. 1725. editis T. 1. p. 129. sqq. Jo. Bernh.

Bernh. Wideburgio in *diff. de Systemate Copernicano Scripturæ S. non contradicente & in Mathesi Biblicâ*, cui addi debet eines anonymi Erörterung der Frage, ob des Cartesii Meinung, dadurch er behauptet, daß die Sonne still stehe und die Erde sich bevedge, der Heil. Schrift zuvvider lauffe, cum præfat. cl. Stollii & notis Wideburgii Jenæ 1726. 8. edita, S. C. Hollmanno in *diff. philof. de obligatione Astronomi Christiani erga Scripturam S. Wittebergæ eodem anno editâ*, J. J. Rambachio in *diff. Theol. de Scripturâ S. ad erroneos vulgi conceptus adcommodatâ* sect. 1. §. 4. sect. 2. §. 3. n. 2. J. H. Beckero in *Theoriâ motæ circa solem telluris Scripturæ non inimicâ Raceburgi A. 1726. impressâ*, quæ imprimis conferri hic meretur, & Erdm. Neumeistero in dem Beveis contra celeb. Marpergerum p. 130. sqq. maximè verò Guil. Derhamo in *Astro-Theologiâ*, quod egregium prorsus opusculum ex Anglico idiomate in Germanicum abs se versum Hamburgi A. 1728. 8. edidit clariss. Polyhistor J. A. Fabricius. Phrasis de tranlocatione montium Matth. XVII. 20. XXI. 21. 1. Cor. XIII. 2. notoriè tropica est, uti post Lightfootum observavit Jo. Vorstius de adagiis N. T. C. XI. ad 1. Cor. XIII. 2. in syntagmate Rhenferdiano *diff. de stylo N. T.* p. 531. Nec tamen existimârim, Matth. XXI. 21. istani loquendi formulam abrogationem cultûs Levitici in monte templi Hierosolymitani præstiti significari, uti van der Waeyen, van Til, d' Outrein & ex his Theoph. Amelius sive P. Zornius in der Erörterung der Schrift-Stellen im N. T. p. 540. 541. statuit, aut ad excidium Hierosolymæ Zach. XIV. 4. hic respici, quæ sententia Heideggeri in ep. ad Cor. p. 125. est. Nec nos morantur, quæ de montium translationibus ab his vel illis factis Legendarii fabulantur. Vide hic Dannhaveri *Christeidem* p. 878. sqq. J. F. Mayeri *diff. de translatione montium Kilonii A. 1701. editam* p. 13. 14. & H. Witsii *Melet. Leid. diff. 10. §. 16. sqq. p. 418. sqq.* Denique de casu stellarum qui intelligenda sint scripturæ sanctioris verba, ad Apoc. VIII. 10. 11. explicavimus in oratione de stellâ absinthio sub tubicinio quinto de cœlo cadente, priore anno hic loci impressâ. Ast infinita heic exempla dare possumus, si nobis liceret, heic latius excurrere, maximè ex Apocalypsi, ubi interpretationibus allegoricis nimis sanè & sine causâ sæpiùs indulgent viri docti.

§. 6.

Ne tamen gratis allegoricam istam scripturas sanctiores explicandi methodum rejecisse videamur, placet, sub finem examinare argumenta, quibus dissentientes heic contra nos pugnant. Sunt verò illa, uti producta fuere à Coccejo passim, Deusingio (a), Witsio (b), Vitringâ (c), Ceillierio (d) atque ex nostris cel. Muhlio, qui itidem existimavit, omnia V. T. facta modo prophetico res N. T. repræsentare & adumbrare (e), I. Paulum ipsum generalem hanc regulam ponere, V. T. esse typum Novi (f), II. atque ita componere Ada-

mum primum cum secundo (g), historias V. T. cum rebus N. T. (h) Nec III. negari posse, quicquid sit cærimoniarum Leviticarum, id res N. T. pingere (i). Imò IV. dari uti peccata, ita bonas actiones, uti pœnas, ita & beneficia typica (k). V. In prophetiis V. & N. T. maximè Apocalypticis ubique militare allegorias, litteram heic premi non posse. VI. Dicta V. T. quæ in Novo ad Messiam & Novi Test. res applicentur, sine allegoricâ explicatione huc trahi maximam partem haud posse (l), VII. modum docendi parabolicum à Christo usurpatum itidem methodum istam allegoricam suadere, quæ eò majorem veritatis accipiat lucem, si VIII. consideraverimus, sapientiam & fecunditatem sensûs divini sanè literâ nudâ haud exhauriri, & IX. saltem, exempli, quod imitationi nostræ propositum sit, loco ad allegoricas illas explicationes Paulinas, quas nemo sanè ex istâ literâ facilè exsculpsit, respexerimus, ubi historiam illam Agaræ & Saræ Gal. IV. 22. sqq. (m) & legem de ore bovi trituranti haud obligando 1. Cor. IX. 9. (n) Paulus allegoricè explicat. Confirmare nos X. in hâc methodo epistolam ad Ebræos, quæ tota allegoricis ejusmodi explicationibus scateat. Imò nisi XI. supponamus, sacrificia & cultum V. T. esse typicum, de fide fidelium V. T. actum esse. Nihil itaque impedire, quò minùs eandem viam & nos ineamus. Tacemus alia, e. g. quòd, Christo monente, debeamus ἐφ' ὅντων τὰς γερουσίας, id quod per allegoricam explicationem fiat (o), & quæ ejusmodi sunt (p).

- (a) in demonstratione allegoriæ historicæ V. & N. Testamenti, quæ Franckeræ 1707. 4. prodit, & in præf. Mosis Evangelizantis.
- (b) in œcon. fœd. Dei L. 4. C. 6. §. 6. inque Miscell. sacris T. 1. L. 2. C. 17. §. 2. 3. ubi & Mosen Amyraldum in rem suam citat.
- (c) in Observ. sacr. L. VI. C. 20. & in præf. ad Teelmanni Comm. in Luc. XVI. Adde & præf. in Jes. quam scripsit.
- (d) dans l'apologie de la Morale des Pères de l'Eglise contre les accusations de Mr Barbeyrac Ch. 4. p. 103. sqq.
- (e) in apodixi p. 93. sqq. Heic enim p. 94. 95. *Unde nihil planè vel visionem vel auditum antea fuisse necesse est, quòd non eventura prædiceret, & que speranda erant sub N. T. πολυμερῶς ἔχοντες πολυτρόπως Numinis instinctu ductuque revelaret.* Allegat hanc in rem Vir doctus Apol. Aug. Confess. p. 142. ubi: *Et res gestæ in populo Israël sunt exempla eorum, quæ in Ecclesiâ futura fuerunt.* itemque Chemnitium in locis Theol. P. 2. fol 51. ubi: *totum illud*

illud tempus usque ad adventum Messie fuit tempus umbrarum, signorum, pedagogie &c. etiam ante legem Moysi, alioque autores, queis & S. Schmidium de circumcissione p. 64. sqq. addere poterat. Ipse tamen Muhlius ab excessu hujus studii allegorici sibi temperare certosque heic limites ponere videtur, p. 96. ita scribens: Quod eo tamen modo interpretandum non erit, ac si totam Scripturam meram allegoriam faciam &c. Et hæc scriptoris anonymi de demonstratione allegoriæ historicæ, quem Franquera familiariter novi, Cl. Altingii, (Deulingium volebat dicere Muhlius, in nomine enim dicendo erravit calamus) sententia est, sed QUÆ MULTUM PUTIDI ET ABSONI habet, ac Belgicarum Ecclesiarum censuram notamque Spanhemii in elencho controversiarum p. 665. gravissimè incurrit. Licet verò modum in studio allegorico historias & leges V. T. exponendi excedere videatur Muhlius, stylo tamen acriore, quàm par erat, reprehensus hic est à Josua Schvvarzio vvider D. H. Muhlium in puncto Chiliafmi P. 2. C. 3. 4. p. 124. sqq. Adde Kraftfi historischen Bericht contra Schvvarzium p. 56. sqq. & Fechtii lect. Theol. in syllogon p. 13. sqq.

(f) 1. Cor. X. 6. 11. Col. II. 17. Ebr. X. 1.

(g) Rom. V. 14. 1. Cor. XV. 45. sqq. Quæri heic posset, num, Adamo integro typo Christi antitypi existente, sequatur hinc, Christum etiam incarnandum fuisse, si homo non peccasset? Vide Basnagii histoire des Juifs L. 3. Ch. 21. §. 4. n. 2. p. 569. 570. ubi contra Picum Mirandulanum, quaestionem istam adfirmantem haud malè disputat. At sunt, qui Rom. V. 14. per τὴν μέλλουσα Christum non intelligunt, uti ex veteribus Augustinus, ex recentioribus Knachtbullus. Jam verò τύπον hic non figuram sed comparationem nudam inferre, nec Adamum typum Christi heic dici, cum Glassio statuit Marckius in sylloge diss. ad sel. textus N. T. exerc. 17. §. 6. p. 493. sqq. quem & consule in historiâ paradisi L. 3. C. 13. Sed adde & Snelii diss. de Adamo Christi typo in amœnitatibus Theologiæ emblematicæ & typicæ p. 55. sqq.

(h) Vide 1. Cor. X. 1. sqq. Gal. IV. 22. sqq. Eph. V. 31. sqq. Hebr. I. 5. III. IV. V. VII. XII. 24. sqq. XIII. 10. sqq. uti & 1. Pet. II. 24. III. 20. 21. Adde Matth. II. 15. 18. XII. 40. XXIV. 37. Luc. XVII. 32. Joh. III. 14. VI. 31. sqq. ut taceamus loca illa, ubi Christus in N. T. agnus Dei mæstatus ob peccata hominum dicitur.

(i) Col. II. 17. Hebr. IX. X. Nota heic, Hebr. X. 5. innuere Apostolum, quod omnia mysteria sub cultu levitico latentia haud explanaverit, sed saltem eorundem partem Hebr. IX. 5. Spicilegium ergò, & quidem magnum Interpretibus sacris heic relictum esse videtur.

(k) Vide heic diss. nostram de rectâ Theol. typicæ conformatione p. 19. & de rectâ Theologiæ propheticæ conformatione p. 36. Jam verò beneficia & pœnas typicas facillè admiserim, difficiliùs peccata typica, cum peccata Deo nolente fiant.

(l) Ubique enim ferè ad sensum mysticum hic recurrendum esse constat.

- (m) Urget hoc inprimis Deusingius in demonstratione allegoriæ historicæ V. T. L. 2. §. 58. sqq. itemque p. 48. sqq. uti locum hunc Paulinum prolixè evolvit & id quàm maximè urget L. 1. §. 56. p. 46. allegoriam hanc ipsi legi inſitam eſſe, non demùm extrinſecùs illi à Paulo affuſam, dici enim comm. 21. *Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe, legem non auditis.* Id quod & contra Joncourtium urget Sal. van Til in libro: tegengift tegen de Adder-ſteeken van Mr P. de Joncourt. C. 4. §. 10. p. 75.
- (n) Jam & heic ſubmonere videtur Apoſtolus, legem iſtam propter Miniſtros Evangelii in ſenſu iſto allegorico expreſſe poſitam eſſe. Vide comm. 8. 10.
- (o) Joh. V. 39. ubi verbum *ἐξ ἀνάγκης* per *πῶς* explicat Vitringa in Archiſynagogo C. 11. p. 196. Adde, quæ hanc in rem diximus de rectâ theologiæ hæmileticæ conformatione, capitulo 1. notâ 1, p. 3.
- (p) Ita e. g. & hùc trahi videas Eccleſ. I. 9. 10.

§. 7.

Non verò eſt, quòd hìc urgeamus, quæ argumentis hiſce oppoſuit poſt Spencerum, Clericum, Joncourtium, cel. Barbeyracius (a). I. non ſequi, Chriſtum & Apoſtolos allegoricà iſtâ methòdo in explanandis Scripturis V. T. uſos eſſe, ergò & nos eàdem uti poſſe. Scilicet illi beneficio infallibilitatis & *θεοπνευστίας* hoc fecere, quod nobis haud competit (b). II. *τύπον* 1. Cor. X. 6. 11. ſignificare *exemplum*, uti Phil. III. 17. 2. Theſſ. III. 9. 1. Tim. IV. 12. Tit. II. 7. 1. Pet. V. 3. (c) III. ea, quæ 1. Cor. X. 2. 3. 4. & in ep. ad Hebræos habeantur, meras eſſe comparationes & alluſiones, non figuras (d). IV. Chriſtum & Apoſtolos nonniſi *ſobriè* & rarò ejuſmodi comparationibus allegoricis uſos eſſe, ſed diſſentientes totum V. T. ſic explicandum velle. V. nullibi methòdum iſtam allegoricam in ſacris literis præſcribi vel regulas illius enarrari. Hinc nullas ejuſmodi allegorias admittendas eſſe, niſi quæ expreſſè in ſacris literis determinentur. VI. Quæcunque in N. T. & maximè in Epiſtolâ ad Hebræos habeantur explicationes V. T. allegoricæ, eas ſaltem *καὶ ἀνθρώπων* & *ad hominem* factas eſſe, quòd hæc docendi methòdus apud Judæos eſſet uſitata (e). VII. nudas alluſiones 1. Cor. V. 7. 8. IX. 9. 10. 2. Cor. VIII. 14. 15. Gal. IV. 22. ſqq. reperiri (f). VIII. poſitâ hâc methòdo allegoricâ Scripturam S. fore pilam verſatilem, & quilibet ſic ex quolibet erutum iri, occaſionemque ſic præberi in eàdem ineptas allegorias incidendi, quas finxit Origenes, cujus pluras ineptias hìc

Jo. Marckius in sylloge diff. ad sel. textus N. T. exerc. 25. ad h. l. §. 11. sqq. p. 800. sqq. nihil determinat, nisi hoc, ab hoc textu argumentum generale sumi non posse ad alias historias sacras vel ubique vel passim allegoricè interpretandas.

(g) l. c. §. 14. sqq. p. 100. sqq.

(h) Vide diff. de rectâ Theologiæ typicæ conformatione p. 12. sqq. ubi & quid ad Col. II. 17. dicat Spencerus, cujus explicationem & Joncourtius l. c. p. 54. sqq. adoptavit, diximus. His σκιά, umbra res vana est, ut ita caerimoniarum Leviticarum cum bonis N. T. collatarum merè hic dicantur vanitates. Et ita vox σκιάς & σώματος usurpatur apud Josephum de bello Judaico L. 2. C. 4. ubi ita ille de Archelao: ἦν δὲ τῷ Δεσπότην σκιάν αἰτησάμενος βασιλείου, ἣς ἤρπασεν αὐτῷ τὸ σῶμα. Venit à Cesare petiturus regni umbram, cujus corpus ipsi rapuerat ille. Alii per σκιάν & hic & Hebr. X. 1. tantum repræsentationem canique rudi saltem penicillo in chartam jactam intelligunt. Vide Clericum ad Hammondum ad Col. II. 17. & Sykesium apud Clericum l. c. p. 343. Sed typum per σκιάν innui prolixè contra dissentientes probat Creyghtonus l. c. p. 57. sqq. cui addendus omninò est Gussætius in disp. Theol. 4. in ep. ad Hebr. de typis §. 145. f. 484. ubi: Umbra sanè denominatio quàm typi aptior est. Similitudinem (α) enim cum re significat à perinde notans simul insuper connotat (β) dependentiam ab eâ, (γ) vilitatem sese prodentem carentiâ (δ) multarum perfectionum, naturam in (ε) privatione aliquâ sitam potius quàm realem, hinc (ζ) inefficacitatem, sed & (η) illationem ab eâ ad existentiam rerum fœderis gratiæ, prout ex umbrâ infers existere corpus, nuntiat (θ) absentiam lucis, proficitur (ι) fugacitatem per solis accessum. Ita nomen umbrae abundat documentis, quibus vix plura dari possunt. Hæc Gussætius.

§. 8.

Nos, qui putamus, in allegoricâ Scripturam sacram explicandi ratione & defectum & excessum vitandos esse, qui & oracula illa Biblica 1. Cor. X. 1. sqq. Col. II. 16. Hebr. X. 1. jam olim contra eos, qui luxuriam frondium cum radice arboris hinc excindunt, vindicavimus (a), prorsus existimamus I. dari typos Biblicos, II. dari & allegorias reales Biblicas, personis, ritibus, historiis V. T. ex intentione Spiritûs S. affixas, III. posse & ad analogiam illorum typorum, illarum allego-
rio

nio frena potius injicienda heic, quàm laxanda esse (b). Valet quippe & hïc quàm maximè proverbium: NĒ QUID NIMIS. Et si enim Scriptura sacra εσοπλεον & specular sit (c), imò & ænigma, tamen nec tota ænigmatica est (d) nec tale ænigma, quod allegoricis maximè explicationibus solvi debeat.

(a) in diss. de rectâ Theologiæ typicâ conformatione p. 12. sqq.

(b) Placet hïc adscribere judiciosissimi Werenfelsii effatum in oratione de scopo interpretis sacri Opusc. Theol. p. 376. exstans. *Multi interpretes tantopere pugnant pro sensibus illis Scripturæ latissimis, & magnis illis montibus, qui, ut loquuntur Rabini, à quolibet Scripturæ apice pendent: usque adeo, ut tanquam Scripturæ enervatores & emasculatores accusent, qui non omnia mysteria, non omnia mira & meteora ubique cernunt, quæ sibi videre videntur. Horum quidem hominum honestissima oratio est. Nil aliud ipsis, si Diis placet, cura est, quam causa verbi Dei, quod hac ratione longe supra hominum scripta extollunt. At, si rem penitus examines, suam potius & gloriæ suæ causam agunt. Quo enim latior creditur cujuslibet dicti sensus, eo latiore campum sibi obtinuisse videntur, luxurianti phantasia frenum laxandi, & quidlibet in quolibet loco inveniendi. Cautelas Thomasiâs vide hic in praxi Logices C. 3. §. 140. sqq. p. 211. sqq. in cautelis circa præcognita Jurisprudentiæ C. 10. circa studium logicum §. 44. p. 141. & C. 19. circa theologicum §. 42. p. 347. 348.*

(c) Ita quippe 1. Cor. XIII. 12. viderur nuncupari. Disputant hïc interpretes, num εσοπλεον per speculum vel specularare, quod περσπιλλιον est, vertendum sit. Communis prior sententia est, cum εσοπλεον Scriptoribus Græcis nonnisi speculum sit, & facilè sic obvietur Pontificiis, obscuritatem Scripturæ S. ex hoc loco demonstrare conantibus. Scilicet speculum faciem clarè repræsentat, quod hanc in rem haud malè observavit in diss. de metamorphosi Christianâ ad 2. Cor. III. 18. Wernsdorfius. Probabilior tamen altera est sententia, quam sic adstruit J. C. Harenbergius in diss. de specularibus veterum Helmstadii A. 1719. defensâ C. 2. §. 5. ubi: *Nempe ipsum loquendi genus βλέπειν δι' εσοπλεον non notat εμφασιν, quæ speculo competit, sed διαφασιν, quam specularia concedunt. Deinde primarius speculi usus est, semet ipsum intueri. 2. Cor. III. 18. Jac. I. 23. Cum itaque non dicatur, videmus in speculo, sed per speculum, cum & explicatio εν αυτημιασι, quod est obscure, mox addatur, viderur posterior hæc sententia priori hæc ténus præferenda, unde & V. E. Löscherus in den Evangelischen Zehenden T. 5. p. 160. βλέπειν δι' εσοπλεον vertit durch das perspectivsehen. Adde vel maximè Lambertum Bos in exercit. philolog. ad N. T. p. 102. sqq. Hinc & in Massechet Jebammot C. 4. §. 13. כל הנביאים נסתכלו באיסקלריא שאינה מראה משה רבינו נסתכל באיסקלריא המאירה: Omnes Prophete viderunt per specular obscurum, at Moses, Doctor noster vidit per specular lucidum.*

G

dum. Adde Gerhardum in loco de vitâ æternâ §. 135. & Theoph. Alethæi Erläuterung der dunckelen Oerter A. und N. T. 21. Versuch. p. 563.

(d) licet Theologiam in genere *enigmaticam* vocet Dannhavverus in hodosophiâ statim sub initium, in definitione. Etsi enim in sacris literis multa sint obscura in historiis, Chronologiâ, Geographiâ, genealogiis, prophetiis &c. tamen & multa quoque, maximè in rebus fidei, sunt clara admodum, licet & hæc ipsa ænigmatica sint, non *in se & absolute*, sed *relative* saltem ad vitam æternam, ubi, quæ heic saltem ex parte cognoscimus, latius & perfectius edocebimur, juxta id, quod in textu exstat: *τότε δὲ ἀγνώσομαι, καὶ ὁὸς ἐπεγνώσθην.* Tunc magis cognoscam, prout & magis edoctus fuero. Hic enim obtinet significatio non niphatica, sed hophatica, uti & 1. Cor. VIII. 3. quod probè monuit Alethæus l. c. p. 569. 570. & quod mirum est, haud observatum esse à cl. Stiebero in diss. inaugurali ad h. l. de Theologiâ ænigmaticâ, Gryphisvaldiæ A. 1722. sub præsidio Krakevitziano habitâ p. 16. Scilicet per gradus in rerum divinarum cognitione ascendimus, ubi ideis primùm obscuris claræ, dein confusis distinctæ & subinde, licet incompletæ in hac vitâ, in alterâ verò & completæ succedent, adæquatis tamen soli intellectui divino & heic reservatis. Quod restat, licet quoque Scriptura S. dicatur ænigma, non tamen dicitur tale ænigma, cui nulla proflus solutio adjecta sit, licet plenior solutio ad vitam æternam sit differenda.

Addenda, in fugam vacui adposita.

p. 11. notæ primæ hæc adjice: *adeat & Petri Zornii, Viri doctissimi dissertationem de antiquo ænigmatum in cænis nuptialibus Hebræorum, Græcorum & Romanorum usu ad variorum Scriptura locorum illustrationem conscriptam & A. 1724. Berolini editam.*

p. 42. in notâ tertiâ l. 9. post *vellet* adde: Probè quippe cavendum est, ne Scripturam S. Deistarum ludibriis hic exponamus, ex quibus solum hic nominamus Simonem Tyssot de Patoc, Matheseos Professore in scholâ Daventriensi, cujus A. 1727. 8. Hagæ Comitum prodire lettres choisies, ubi religionem Christianam sacrasque literas homo pravus acerbè subinde perstringit, maximè verò T. 1. ep. 31. ad Pervileum p. 141. 142. Josuæ Imperatoris simplicitatem ridet, qui quietem terræ & motum solis crediderit, etsi deinceps lettre 55. p. 284. 285. dicta resorbeat. Quæ dum ponimus, paucis monemus, Tyssotum hunc eundem illum esse, qui Burdigalæ seu potiùs Hagæ Com. A. 1710. 12. edidit libellum, cui titulus: *Voyages & aventures de Jaques Masse*, ubi eadem zizania, idem venenum inveneris. Patet hoc ex iisdem epistolis selectis T. 2. lettre 40. p. 251. sqq. ubi itinerarium hoc Massæ plurimum laudat Tyssotus, & licet inficietur, se ejus autorem esse, tamen ut forex se eundem illum esse prodit, quem & re verâ eum esse à viris doctis accepimus.

F I N I S.